






Clark.

Knedlington, Yorks.



ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΕϹ

ASCLEPIADIS BITHYNI

FRAGMENTA.

DIGESSIT ET CVRAVIT

CHRISTIANVS GOTTLIEB GVMPERT

MED. AC CHIR. DOCT.

PRAEFATVS EST

D. CHRISTIAN. GOTHFRIDVS GRVNER.

VINARIAE 1794.

Sumtibus novi Bibliopolii

vulgo *Industrie - Comptoir* dicti.



VIRO

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ANDREAE ONVPHRIO WIERSBINSKI

ABBATI MONASTERII BLEDZOVIENSIS SACR. ORD. CISTERCIENS. PIISSIMO EQVITI ORD. S. STANISLAI ETC.

NEC NON

V I R O

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

BOGVSLAO MAXIMILIANO
BOIANOWSKI

EQVITI ETC. ETC.

FAVTORIBVS AC PATRONIS

DIGNISSIMIS

ATQVE

SVMMA PIETATE COLENDIS

HANC SCRIPTIVNCVLAM

D. D. D.

AVCTOR.

Nolite mirari, quod dignissima VESTRA *nomina in fronte huius libelli conspiciatis. Ea sunt* VESTRA *in me merita, ut ter quaterque beatum me praedicem ob hancce occasionem, qua contingit mihi esse tam felici, ut publice* VOBIS *obtester animum pium atque gratum. Profecto immensa sunt, quae a* VOBIS *mihi profecta sunt bene ac egregie facta. Utinam omnem* VOBIS *exponere possem animum, quo tandem perspiciatis, quot quantisque nominibus* VOBIS *sim obstrictus. Ne vero omnia, quae ex* VESTRA *benevolentia mihi*

nata ſunt commoda, prorſus apud ingratum perire videantur, publice hic declarare auſus ſum mentem VOBIS *obligatiſſimam. Quod ſupereſt, niſi magis in votis habeo, quam ut favore, quo me ſemper dignum habuiſtis, et in poſterum erga me uti pergatis. Sint* VOBIS *ſemper fata mollia!*

NOMINVM VESTRORVM

obſervantiſſimus

CH. GOTTL. GVMPERT

LECTVRIS

S.

Saepe miratus ſum noſtrorum hominum in agitando hiſtoriae medicae ſtudio negligentiam, ceterorum in reprobandis aliorum ſcriptis hoc argumentum tractantibus audaciam, quaſi vero ars ipſa ſine hac cognitione bene conſiſtere, aliquis magnus doctor eſſe ac haberi poſſit. Inſunt enim monimentis veterum, maiorum et recen-

tiorum femina et principia doctrinae multiplicis atque variae, multumque refert fcire, quid et quatenus de rebus medicis fcripferint, quae decreta et praecepta posteris confignata reliquerint, vel ad imitandum, vel ad damnandum, vel ad restringendum. In his dextre aeftimandis opus eft recto et fubacto iudicio, ne in contrarium abripiaris, vel ftudio ipfi parum aut nihil des, vel ad lucrum omnia referas, ad humanitatem, fuauitatem et recreationem animi nihil. Hinc non poffum non fubridere quorundam iudicum fedulitatem, qui et foenum in cornu habent, et libello identidem infcribunt, *nifi vtile eft, quod facis, ftulta eft gloria.* Hoc quidem per fe laudo et probo, quatenus ad operarios pertinet, damno et redarguo, fi de docto viro quaeritur. Nemini placet pauperies, nifi affectanti, quidni magni faciamus eum, qui malit effe ceteris opulentior, doctior, inftructior, quam curta contentus effe fupellectile, malit fatur effe, quam efuriore? Parvi vero eft animi fcientiam ex vtilitate fola metiri,

cum

cum in hac taxanda alius aliam viam ingredi ſoleat et debeat. Suo quisque vtitur modulo, neque laudat, niſi quod ipſe didicit vel fecit, ſed hoc demum mihi vtile eſſe videtur, quod rem medicam iuuat, et lectoribus placet, et ad ſcientiam prorogandam facit. Cetera pertinent ad fortuita, neque habent aliquam vim, niſi ad vtilitatem vel augendam, vel minuendam

Nuperrime quidam medici, quos honoris cauſſa nomino, Ackermann, Metzger, Sprengel, hiſtoriam medicinae litterariam aliquo abhinc tempore contemtam temereque neglectam velut ab inferis reſuſcitarunt, et ſuo exemplo concitarunt alios, ut redirent in priſtina ſecula, vetera cum nouis coniungerent, hiſtoriae artis aliquid temporis darent, quae etſi medicum non facit, tamen ornat, a praeiudicio nouitatis liberat, iudicium moderatur, cumque omnibus ſeculis vindicat. Hinc equidem bonam ſpem concipio, ſi tyronem noſtros homines cum anteceſſoribus con-

conferre, multa legere, ſed prudenter et multum audio. Is enim, cum mature quaeſierit hiſtoriam, et ſe in viros hiſtoriae ope transſcribi paſſus ſit, nec ſibi, nec ſcientiae deerit, et imbutus praeclara disciplina, arti medicinali ſtilo, et eloquentiae paratus, recte ponet tyrocinium, primo doctrinae ſpecimine edito gloriolam aucupabitur, neque hunc litterarum amorem, niſi cum vita ipſa deponet.

Reſtant in hiſtoria veteri, media et recentiori multa, in quibus poſſit audentium diligentia vlterius exſpatiari, multa derelicta, et inculta, quae vberius colere, multa obſcura, quibus lucem adferre hic eſt. Haec periclitari, rem ipſam ad vmbilicum reducere, vera et digna iuuene laus eſt. Talia etiam auſus eſt huius libelli auctor, cum ſibi ASCLEPIADIS BITHYNI, medici ſua aetate longe clariſſimi, vitam, fata, ſcripta, adumbranda ſumeret. Neque, quantum equidem video, auſum euentus deſtituit, cum bene praeparatus et inſtructus ad ſcribendam hiſtoriam acceſſerit.

Noui

Nouit medicinam et veterem, et nouam, potuit ergo ex aequo de ASCLEPIADE suo iudicare. Nouit fontes, unde narrationis momenta haurire debuit, hinc neglexit turbidos riuulos, in quibus, si e nuperis aliquos excipias, vix est, quod adeo desideres. Inspexit praeterea posterioris aetatis scriptores, quorum erat copia, sed ita, ut primas daret veteribus, CELSO, CAELIO AVRELIANO, GALENO cet. secundas recentioribus, quorum alii ex professo ASCLEPIADEM describendum curarunt, vt ANT. COCCHIVS *) et BIANCHINVS **), alii curatius dederunt historiam vitae et dogmatum, vt CLERICVS ***) et BARCHVSEN ****), ceteri fere reperierunt, quae ab aliis dicta vel scripta inuenerant, sed haec nec satis vere, nec recte. Denique narrator ASCELPIADIS hoc in negotio nec leui, nec proletario ita versatus est, vt nihil fere intactum vel inexploratum

*) Discors. sopra Asclepiade Fior. 1754.

**) La Medicina d'Asclepiada, Venez. 1769.

***) Hist. de Medec. P. II. 3. p.

****) Hist. med. Dial. XII, p. 248.

ratum relinqueret, quod e re ſua eſſe arbitrabatur, curate, docte, late ac copioſe percenſuit, quae imaginem eius perfectam exprimerent. Sic profuit auctor multis, placebit etiam plurimis, quibus otium et animus ſedulo anquirendi deeſt, curioſitas minime. Proſpiciet etiam tali opella ni omnis fallor, famae ſuae, quoniam is, qui primum prodiens talia audet, etiam maiora et praeclariora ſperare nos iubet. Equidem bono, modeſto et egregie inſtituto iuueni fauſta quaeuis lubens et gratus apprecor. Scripſi Ienae Saxonum III. Non. Mias cIↄIↄCCLXXXXIIII.

D. CHRIST. GOTHFRID. GRVNER.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP.

Cap. I.

De nonnullis aliis viris, qui in Veterum Scriptis Asclepiadis nomine insigniti occurrunt.

§. 1. Ab Aesculapio, inclyto illo remotissimae antiquitatis averrunco Deo, primum prosapiam eius, deinde vero, cum, ob cultum eius divinum auctum, pluraque ei exstructa templa sola progenie ipsa non amplius sufficiente sacris rite perpetrandis, οἱ ἔξω τοῦ γένους quoque societati adscriberentur, qui aegrotis templa opis efflagitandae caussa celebrantibus adsisterent, totum sacerdotum ordinem *Asclepiadarum* nomen accepisse, inter omnes constat. Proprium fuit hocce nomen procedente tempore omnibus illis, qui scholis, Aesculapii nomine atque auctoritate florentibus, inprimis Cnidiae Coaeque, sacramento obstricti erant. De his omnibus vero hic nullus fit sermo. Deprehendimus potius aevo posteriori viros quosdam in arte nostra peritos eodemque insignitos nomine, qui, nullo cum Aesculapii progenie aut sacerdotum collegio coniuncti nexu, nomen illud vel hereditate acceptum referebant proavis, vel ob multa in arte egregie facta sibi vindicaverant: quorum in historia perquirenda paulisper immorari de-

 bemus

bemus. Nimirum cum animus nobis ſit, in Aſclepiadis, inclyti illius atque ingenioſiſſimi apud Romanos medici, qui primus cum medicinam Graecam ſeverioribus Romuli nepotibus invidioſam, tum illam proprio Marte excultam, iucundiorem ac fere omnibus acceptam reddidit, vitam, hiſtoriam atque doctrinam paulo accuratius inquirere: eo magis nil nobis antiquius eſſe debet, quam, ut, prius quam ad Noſtri res tractandas progrediamur, verba faciamus de ceteris illis viris, qui Aſclepiadis nomine inclaruerunt, quo magis cavere debemus, ne forſitan alius cuiusdam eodem nomine celebris res cum illis Bithyni noſtri commiſceamus, atque inde impediamur, quo minus rite diudicare poſſimus. *a*) Priusquam vero ulterius progredimur, id memoraſſe iuvabit, plurima, quae ad virorum illorum ſpectant hiſtoriam, iam tractata legi apud Reineſium, *b*) Walchium, *c*) Sponium *d*), Fabricium *e*), Le Clerc *f*), aliosque, quos in ſcriptium-

a) Quod iam factum eſſe, docent exempla. Sic Le Clerc Hiſt de la Med. II, III, 10, narrat, *Lionordo di Capoa* Raggion. p. 369. putaſſe noſtrum Bithynum unum eundemque cum illo Pharmacione, cuius hiſtoriam ſuccinctam tradimus § 2. et *Spon* recherch curieuſ. d'antiquit. diſſ. 37. ſibi finxiſſe L. Arruntium Sempronianum Aſclepiadem §. 3. nihil differre a Pharmacione.

b) in notis ad inſcriptiones, et in epiſtolis ad Rupertum et Hoffmannum.

c) in antiquitatibus medicis ſelectis.

d) recherches curieuſes d'antiquité.

e) Bibliothec. Gr. To. XIII, p. 90. ſqq.

f) Hiſt. de la Med. II, III, 10. p. 417.

iuncula ipſa nominabimus. Noſtrum igitur eſt, ea, quae in ſcriptis illis ſingula deprehenduntur delibata, hic colligere, atque totam exhibere Aſclepiadarum coronam, praeſertim vero curare, ne forſitan ea, quae in ſcripta virorum illorum eruditione ſat magna inſignium irrepſerunt falſa, hic denuo recudantur.

ASCLEPIADES PHARMACION.

§. 2. Agmen ducit *Aſclepiades* quidam, qui *Pharmacion* audit, ſic dictus ob medicamenta, quorum deſcriptioni, compoſitioni, ac adhibendi rationi praecipuam navavit operam. g) Vixiſſe videtur temporibus Neronis aut Domitiani, ut probare conantur *Gorofalo*, et eius ſententiam amplectens Walch. *h*) Nominantur

g) Gal. de compoſit. medic. ſec. gen. lib. I. To. II. p. 325. edit. Baſil. Ἀσκληπιάδης ὁ ἐπικληθεὶς Φαρμακίων, ὃς καὶ [γέγραφε βιβλία] χωρὶς τῶν θηριακῶν καὶ γυναικείων προσθεὶς καὶ αὐτὸς ἑκάστῳ φαρμάκῳ τὴν ἐπαγγελίαν, ἐπὶ πολλῶν δὲ καὶ τὴν ἕψησιν, ἐπ' ἐνίων δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς χρήσεως.

h) *Gorofalo* Giornal. de' Letter. d'Ital. 1712. T. II. (Le Clerc II, 3, 9, p. 413.) et Walch in antiq. medic. ſelect. l. l. Id ex his elici poſſe crediderunt, quod Galenus (de compoſ. medic. ſec. loc. II, 2. To. II. p. 180.) refert, medicamentum, quod Aſclepiades in libris ſuis tradiderat, iam a Charicle quodam, medico Tiberii aevo inſigni (Tacit. annal. VI, 50.) uſurpatum fuiſſe. Si vero hac inveſtigandi ratione Aſclepiadis huius aetas extra omnem dubitationem poni debeat, maiori cum veriſimilitudine, potius certitudine ſecundum eundem Galenum contendere poſſu-

eius libri pharmaceutici a Galeno in ſcriptis de compoſitione medicamentorum ſecundum locos et ſecundum genera: nimirum ſcripſerat decem de medicamentis libros, quorum quinque priores enarrabant medicamenta externa, atque nomen Marcellae in fronte gerebant, ceteri quinque poſteriores medicamenta interna, atque denominationem Mnaſoni cuidam debebant. *i*) Le Clerc l. c. immerito ei tribuit pronomen Marci Terentii. *k*)

L.

poſſumus vixiſſe poſt Andromachum, poſt Dioſcoridem et Scribonium Larg. Galen. de compoſ. medic. ſec. loc. VII, To. II. p. 263. VIII, To. II. p. 280 et 284. X, To. II. p 309. ſec. gen. VII, To. II. p. 409. Vid. Rhod. ad Scribon Larg. p. 7.

i) Galen. de compoſit. medic. ſec. gen. I. To. II. p. 325. ἐπιγράφει δ' αὐτος αὐτα (τῶν ἐκτὸς) πρώτην Μαρκέλλαν, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην, καὶ τετάρτην, καὶ πέμπτην, ὥσπερ τὰ ἄλλα τῶν ἐντὸς πέντε, πρῶτον Μνάσωνα, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον καὶ πέμπτον. Huius Aſclepiadis ſcripta collegit Fabric. Bibl. Gr. To. XIII. p. 91. ſqq. add. Walch. l. c. et, quem ibi laudat Reineſ. in epiſt. ad Rupert. ep. 36.

k) Omittere hic non poſſumus errorem, quem commiſit Le Clerc l. c. Dicit nempe, huncce Aſclepiadem celebrem fuiſſe pronomine Marci Terentii, nixus loco Galeni de compoſit. medic. ſec. gen. VII, p. 410. Si vero paulo accuratius locum illum inſpiciamus, docemur, Galenum ibi enarrare malagmata, quae Pharmacion in libris ſuis luſtraverat, atque ex iis depromere μάλαγμα Μάρκε Τελεντίε (ſic legunt edd. Baſil. et Charter.) Ἀσκλεπιάδε. Patet igitur, huncce Marcum Telentium aut eſſe virum peculiarem, nomine Aſclepiadis inſignem, aut pro Ἀσκλεπιάδε legi debere Ἀσκλεπιαδείε (ex ſecta Bithyni noſtri) quod valde mihi arridet, quoniam ex illo Galeni loco compertum

L. ARRVNTIVS SEMPRONIANVS ASCLEPIADES.

§. 3. Memoria huius viri oblivioni eſt erepta lapide in Via Nomentana reperto, atque apud Reineſium exſculpto, cuius inſcriptio eſt: L. ARRVNTIO SEMPRONIANO ASCLEPIADI IMP. DOMITIANI MEDICO T. F. I. Cf. Walch et Le Clerc.

C. CALPVRNIVS ASCLEPIADES.

§. 4. Inter ceteros Aſclepiadas praecipue eminet C. Calpurnius, Traiani temporibus inclytus, cuius memoriam inſigne antiquitatis monumentum ſic prodidit: *l*) C. CALPVRNIVS ASCLEPIADES PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS PARENTIBVS ET SIBI ET FRATRIBVS CIVITATES VII A DIVO TRAIANO IMPETRAVIT NATVS III NONAS MARTIAS DOMITIANO XIII COS. etc. Ex hocce monumento colligere poſſumus, quam maxime ab honeſtiſſimis aevi ſui viris aeſtimatum fuiſſe. Nam in eodem marmore legimus: *Studiorum et morum cauſa probatus a viris clariſſimus adſedit magiſtratibus populi Romani.* A

 Tra-

tum habemus, malagma illud a Marco Terentio prolatum referri debere ad Bithynum Aſclepiadem.

l) Walch. in antiq. med. ſelect. l. c. praeter Reineſium atque Sponium, ubi hoc marmor legitur, laudat quoque Almelov ad Strab. p. 850. Lamp. de honor. privil. et iurib. medicor. p. 110. et Vinck. amoenit. philol. medic. p. 169.

Traiano iuribus septem civitatum donatus fuit. *m*) Natus est A. U. C. 840. P, C. N. 88. defunctus anno aetatis septuagesimo p. U. C. 910. Antonino Pio imperante. Quoniam ex Prusa ortum ducebat, Reinesius (not. ad inscript. p. 608.) Sponius, (recherch. curieus. d'ant. p. 451.) et Walchius, eorum sententiae calculos adiiciens, persuasum sibi habebant, Prusiensis nostri non solum civem, sed etiam gentilem, immo heredem artis et forte nepotem eum fuisse. Sed valde errarunt. Nam quamvis civis ac gentilis, tamen nepos esse non potuit, quoniam inter Calpurnium et illum Bithynum intercessit spatium fere ducentorum annorum, ut bene observat Le Clerc. II, 3, 10, p. 420.

ASCLEPIADES PHILOPHYSICVS.

§. 5. Galenus memorat alium quendam medicum, Asclepiadis nomine insignitum, cui, ut discerni posset ab aliis, a rerum naturalium studio appellatus est *Philophysicus* (φιλοφυσικος) *n*) Citra medicamenta nonnulla, quae Galenus enarrat, nihil amplius de eo notum est.

T.

m) Sponium, Le Clerc, aliosque, qui sibi persuasum habebant, quasi ipsas septem civitates dono dedisse Calpurnio Traianum, iam refutavit Walch. l. c. atque egregie ibi demonstrat id de iuribus tantum septem civitatum intelligendum esse.

n) Galen. de composit. medicam. sec. loc. VII, To. II. p. 271, et lib. VIII, To. II. p. 283. Perperam legitur ab aliis φιλοσόφικος pro φιλοφύσικος: et hac perversa lectione haud dubie deceptus Rhodius ad Scrib. Larg. p. 137. putavit

hunc

T. AELIVS ASCLEPIADES.

§. 6. Lapidi antiquo, quem apud Gruterum reperimus exſculptum (p. 335. 1.), iuxta Amphitheatrum Romae effoſſo, debemus memoriam huius medici. Compertum ex eo habemus Augusti quendam libertum, quem ſic lapis exhibet: T. ΑΙΛΙΟϹ ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹ ΙΑΤΡΟϹ ΛΟΥΔ. ΜΑΤ. ΧΕΙΡ. i. e. *medicus matutini ludi chirurgus.* o)

P. NVMITORIVS ASCLEPIADES.

§. 7. Walchius ex marmore, quod apud Gruterum, ut et apud Onuphr. Panuvinium et Scip. Maffeum exſculptum occurrit, in medium profert *Publium Numitorium Aſclepiadem*, Publii, libertum, medicum ocularium, et ſeviratus apud Veronenſes honoribus olim functum.

L. SCRIBONIVS ASCLEPIADES.

§. 8. Dubitari poteſt, an alius quidam medicus, huic Aſclepiadarum coetui accenſendus

ſit,

hunc Aſclepiadem philoſophicum nil differre a Pruſienſi illo, medico ac philoſopho: id, quod iam refutavit Le Clerc. — Omnino ſatius videtur φαρμακευτικός legere, quod et editio Charteriana ſuadet, et res ipſa, cum hoc nomen magis pertineat ad pharmaceuticum, quam illud ex philoſophiae ſtudio petitum.

o) Praeter Walchium in antiq. medic. ſelect., ubi de hoc Aſclepiade verba facit, et, quem ibi laudat, Lipſium Saturn. I, p. 909. vid. Mercurial. de art. gymnaſt. lib. I, c. 12. p. 95.

ſit, qui perinde ac alii, quorum hiſtoriam aut iam adumbravimus, aut adumbratum tendimus, memoriam ſui nominis acceptam refert inſcriptioni, quae ſic ſe habet: SCRIBONIAE IVCVNDAE L. SCRIBONIVS ASCLEPIADES VXORI STATVIT. Rhodius ad Scrib. Larg. autumat, huncce Scribonium Aſclepiadem fuiſſe ipſum Scribonium Largum. *p*)

ASCLEPIADES TITIENSIS.

§. 9. Profert Cael. Aurel. (III, morb. acut. 5, §. 55.) alium *Aſclepiadem*, quem *Titienſem* appellat. Le Clerc dubitat, an diſcerni debeat a ceteris illis medicis Aſclepiadis nomine inſignibus, aut pro *Titienſem* legere vult *Citienſem* i. e. *Citiaeum*. Praeterea nil de eo notum eſt.

ASCLEPIADES APOLONII FILIVS.

§. 10. Memoria huius ad nos pervenit lapide Smyrnae effoſſo, quem ex Reineſio (XI, 5. p. 610.) deſcribit Fabricius (Bibl. Gr. T. XIII, lib. VI, p. 90.) quadratum in faſtigium deſinentem furſum, in quo ſculpta ſtatua togata ad dextram, ad ſiniſtram cippus quadratus, cui caput ſenis παθυβώγωνος impoſitum, ſubterque adſtans puer, ad dextram ſtatuae faſciculus voluminum: in limbo ſuperiore lapidis iſta leguntur: Ἀσκληπιάδην Ἀπολλωνίȣ τȣ Ἀρτεμιδόρȣ, et in medio horum

p) vid. Rhod. ad Scribon. Largum.

horum nominum fertum, cui infculptum: ὁ Δῆμος.

ASCLEPIADES EPHESEVS.

§. 11. Hic denique agmen claudit, de quo hanc infcriptionem ex Fulv: Urfino p. 98. protulit idem Fabricius l. c.

Θ. Κ.

Εντε φίλοισι φίλοιο καὶ ἰητῆρος ἀρίςου
Παιδείης θ' ἱερῆς εγγύθεν ἁψαμένου.
Σῶμ' Ἀσκληπιάδου καὶ ἥεος ἐνθάδε Βήρου.
Ὡς ἐπεῖσα φίλοις εἷς ὅδε τύμβος εχει.

Α. Φοντείῳ Φόρτι Ἀσκληπιάδῃ q) τῷ γένει Ἐφεσίῳ, βιώσαντι ἔτεσιν μ', μησὶν β'. ἡμερ. κέ. ὡρ. ζ. Ἐγνατια Βρισηὶς σύμβεος, μνήμης χάριν.

ARIVS, AN HVIC ASCLEPIADARVM COETVI SIT ADNVMERANDVS?

§. 12. Le Clerc numero Afclepiadarum adfcribere quoque vult *Arium* quendam *Afclepiadem*; fententiam fuam fuffulciens auctoritate Galeni, cuius tamen locos, ubi de eo loquitur, ciere negligit. Omni igitur, qua decet, diligentia evolui Galeni libros, quo invenirem, quod huc pertineat. Inde compertum habemus, mentionem quidem facere Galenum *Arii* cuiusdam, qui fuit *Afclepiadeus* five ex fecta Afclepiadis

 Bi-

q) Le Clerc huncce Fonteium Fortim ex Afclepiadarum numero eiiciendum putat, propterea, quod ille de fe praedicarit, fe genus fuum deducere ab Aefculapio eiusque

Bithyni, minimo vero ipſe Aſclepiadis nomine inſignitus. r)

GALLVS MARCVS, AN HVC PERTINEAT?

§. 13. Nec minus ambigere poſſumus de *Gallo Marco*, quem Le Clerc, ut Arium illum, temere locum obtinere paſſus eſt inter ceteros Aſclepiadas. Omnis res redit ad locum Galeni (de compoſit. medic. ſec. loc. VIII. To. II. p. 283.), ubi mentionem facit Γάλλȣ Μάρκȣ τȣ̃ Ἀσκληπιάδȣ. Sic legunt editiones Baſil. et Charter. Sed putamus, mendam hic delitiſcere. Quorſum articulus τȣ̃ ante Ἀσκληπιάδȣ? Quid? ſi legamus Γάλλȣ Μάρκȣ τȣ̃ Ἀσκληπιάδειȣ? ut de compoſ. med. ſec. gen. V, To. II. p. 392. Ἀρείῳ τῷ Ἀσκληπιαδείῳ κ. τ. λ. — Ex his igitur, quae cum maxime locuti ſumus, colligimus, Le Clerc hac in re deceptum fuiſſe, nec ei adſtipulari poſſumus edicenti, Galenum praeter Aſclepiadem Bithynum quatuor aliorum eiusdem denominationis mentionem facere, cum potius praeter Bithynum, quantum eius ſcimus, nullus alius occurrat, niſi Pharmacion et Philophyſicus: et locus Galeni (de compoſ. med. ſec. loc. VI, To. II. p. 252) ubi ſermo eſt de duobus Aſclepiadis, qui de

que progenie: ex inſcriptione ipſa vero nil eiusdem patet.

r) Galen. de compoſit. medic. ſec. loc. IV, To. II. p. 217. Ἄρειος Ἀσκληπιάδειος. V. To. II. p. 226. ſec. gen. V, To. II. p. 392. ſec loc. VIII, To. II. p. 283. mentio quidem ſit Ἀρείȣ Ἀσκληπιάδȣ, ſed cum in omnibus aliis Galeni locis Arius occurrat Aſclepiadeus, etiam in hoc loco pro Ἀσκληπιάδȣ legendum putamus Ἀσκληπιαδείȣ.

de medicamentorum compoſitione ſcripſerunt, non de Pharmacione et Ario intelligendus eſt, ut falſo autumat Le Clerc, ſed de Pharmacione et Philophyſico.

ASCLEPIADES MYRLEANUS.

§. 14. En! haec eſt Aſclepiadarum, qui ipſi medici, medici principis Aeſculapii memoriam, nominibus ſuis aeternam reddere voluerunt, tota corolla, quam, priusquam ad rem ipſam nos adcingeremus, componere operae pretium putavimus, quo integrior inde evaderet Aſclepiades Bithynus. Minime quidem dubitamus, quin in rei antiquariae ſcriptoribus, monumentorum, lapidum ac nummorum collectoribus, alii medici eodem nomine gaudentes, adhuc incogniti delitescant. Sed ſufficiunt haec, quae collegimus, ad ſcopum noſtrum. Nunc nil amplius ſupereſt, quam ut paucis immoremur *Aſclepiadi Myrleano*, qui forſitan Plinio *f*) anſam dedit, ut falſa ediceret de Bithyno. Vixit temporibus Pompeii M., et Romae artem grammaticam docebat. Vid. de eo Fabric. ad Sext. Empiric. adverſ. Gramm. I, 2. p. 225. et in Bibl. Gr. Vol. II, p. 51. — Alios viros, qui, quamvis non medici, tamen Aſclepiadis nomine inclyti fuere, quorumque catalogum edidit *Garofalo* Giornal. de' Letter. d'Ital. 1712. T. II. (Le Clerc p. 413.) hic plane omittimus, quod nil ad rem noſtram conferunt.

f) vid. infr. cap. II. §. 20.

Cap. II.

Aſclepiades Bithynus.

§. 15.

PROLEGOMENA.

Expoſitis iis, quae praefanda erant, transgrediamur nunc ad ipſam rem, quae nobis curae cordique eſt. Conſuetudine atque more omnium, qui inſignium virorum vitas enarrant, auſpicamur ab iis rebus, quae ad originem atque genus Bithyni noſtri ſpectant. Sed mirum, quam pauca, quae vitam eius illuſtrant, in ſcriptis veterum quaſi immerſa, ad noſtra tempora usque pervenerint: et pauca illa, quam luxata atque mutilata, quam depravata et fictitiis ingenii imaginibus obnubilata. Non recentiores ſolum, qui de Aſclepiade quid literis conſignarunt, ſed inter veteres ipſos nonnulli, ut Plinius, *t*) nihil curaverunt, quid ſcriberent. Inter recentiores alii operae pretium facturi viſi ſunt, ſi multis animi ac voluptatis cauſa, ut lecturis tempus fallerent, belle excogitatis rebus hiſto-

t) vid. infra §. 20.

hiſtoriam eius exornarent: *u*) alii id neglexerunt, ut varios Aſclepiadis nomine inſignes invicem a ſe discernerent: *v*) quo factum eſt, ut alia commiſcerentur, quae ſeparata, alia ſeparata enarrarentur, quae coniuncta proferri deberent. Noſtrum igitur eſt, pauca illa, quae reliqua nobis ſunt, conſarcinare, vera a falſis diſcernere, commenta reiicere, temere commixta ſeparare, et omnino ita nos gerere, ut Aſclepiades evadat integer, nec depravatus, nec inuneri-to exornatus.

ASCLEPIADIS TERRA PATRIA.

§. 16. Quod ad terram eius nativam attinet, prodiderunt Veteres, natum eum eſſe in urbe *Bithyniae*, quae *Pruſa* *x*) vocatur: quo factum

u) Quod ab Anton. Cocchi Diſcorſ. I. ſopra Aſclepiade factum eſſe refert Bianchini La medicina d'Aſclepiad. Diſcorſ. I. § VIII cf. ſupra praefat.

v) vid. ſupra cap. I, §. I, not. a. et §. 5. not. n.

x) In veterum ſcriptis tres obveniunt urbes ciusdem nominis. Prima earum eſt *Pruſias* antiquiſſimis temporibus a flumine eam alluente *Cius* vocata, ut patet ex Apollon Rhod. Argon.

Τῆμος ἄρ' οἵγε ἀφίκοντο Κιανίδος ἤθεα γαίης
Ἀμφ' Ἀργανθώνειον ὄρος προχοάς τε Κίοιο.

Cius vero eſt flumen per Myſiam mieans. Vid. Plin. H. N. V, 40. *Cium* Myſiae urbem confirmat Apollod. Biblioth. I, c. 9. p. 50. cf. Heyne in not. ad Apollod. p. 185. ſq. Salmaſ. exercit. Plin. ad Solin. p. 877. Stephan. Byzant. ſ. v. Κίος. Ceterae utraeque urbes ſunt Bithyniae et vocantur Pruſae, quarum altera ab Hannibale ſub Olympo con-

factum eſt, ut tantum non ſemper in veterum ſcriptis occurreret nomine *Bithyni* vel *Pruſienſis*, y) quo facilius ab aliis diſtingui poſſet. Sed apud auctorem introductionis ſive medici, Galeni ſcriptis intruſi falſoque ei adſcripti aliud obvenit nomen, quo inſignitur Aſclepiades: nimirum audit ibi *Cianus*. Ἀσκληπιάδης Βιθυνὸς, Κιηνὸς ὅς καὶ Πρȣσιεὺς ἐκαλεῖτο. Gal. T. IV. p. 372.

AN CIANVS VOCARI POSSIT.

§. 17 De Aſclepiade *Ciano* z) per magna eſt exorta lis inter viros doctos. Nullibi apud veteres occurrit Aſclepiades hoc nomine ornatus, niſi in loco illo introductionis: et, ſi paulo accuratius inſpiciamus verba ipſa, luxata atque depravata deprehenduntur: quo factum eſt, ut viri docti in diverſas inter ſe abirent ſententias. Editio Charteriana legit: Ἀσκληπιάδης Βιθυνὸς Κιανὸς ὅς καὶ Πρȣσιεὺς ἐκαλεῖτο. Edit. Baſil. Ἀσκλεπιάδης

condita, altera ſub Hypio monte ſita eſt, ut teſtatur Plin. H. N. V, 43. Prolixius de his tribus urbibus commentatus eſt *Garofalo* (Le Clerc p. 411.)

y) Ἀσκληπιάδης ὁ Βιθυνός. Sext. Empiric. pyrrh. hypotyp. III. 9. ſ. 32. p. 136. Strabo XII. p. 849. edit. Almel. Frag. in Gr. chir libr. e collect Nicet. edit. Cocchi p. 154. Ἀσκληπιάδη τοῦ ἀπὸ τῆς Βιθυνίας ἰατροῦ κ. τ. λ. Galen. de Theriac. ad Piſon. T. II. p. 418. et idem in pluribus locis. *Pruſienſis* Plin. H. N. VII, 37.

z) Lionardo di Capoa Raggion. I. ſibi finxit, Aſclepiadem atque Cienum eſſe varios viros, atque adſcribit Cienum ceteris illis ſectarum principibus, qui in loco illo nominantur. vid. Le Clerc. Hiſt. de la Med. II, 3, 9.

πιάδης Βιθυνὲς, κινὸς ο καὶ Πρεσιὰς ἐκαλεῖτο. Manifesto apparet, hancce lectionem posteriorem menda laborare. Le Clerc Hist. de la Med II, 3, 12, p. 133. in edit. prim. Amst. 1702. mutilato illi loco medelam exhibiturus, pro κινος legere mavult ἐκεῖνος sive κεῖνος. Coniectura sat ingeniose excogitata. Nimirum auctor introductionis nominat illibi principes sectarum, sectaeque rationalis, Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Herophilum, Erasistratum, Mnesitheum: tunc sequitur *Asclepiades Bithynus ille, qui etiam vocatur Prusiensis.* Sed aliam praeter memoratam profert coniecturam Le Clerc. Nempe si forsitan, inquit, esset superfluum verbum ἐκεῖνος, nec in hac significatione scriptoribus usurpatum, posset plane eiici ex contextu verbum κινος, ortum forsitan errore librariorum ex syllabis posterioribus verbi Βιθυνες, mutatis literis ϑ et υ in κ et ι possitque totus locus sic constitui: Ἀσ. Βιθυνὲς ὃς καὶ Πρ. ἐκ. — Alteram lectionem in editione Charteriana expressum amplectuntur *Bianchini* (la medic. d'Asclepiad. diss. I. §. 11.) *Cocchii* discors. d'anatom. et in collect. chir. graec. e collect. Nicet. p. 154. *Fabric.* Bibl. Gr. To. XIII, p. 87, inprimis *Garofalo* (Le Clerc hist. de la Med. p. 410. sqq.) Qui ab hac posteriori stant sententia, suffulciunt eam, quod Prusias olim Cius nuncupata fuisset (vid. §. 16. not.) unde Asclepiades vocaretur Cianus. Cf. Salmas. exerc. Plin. ad Solin. p. 877. sq. Le Clerc irrisus a Garofalo, quod verbum Κιανος non intellexisset, dubia quaedam profert contra hanc sententiam. Hist. de la Med. II, 3, 9. p. 416. edit. post. Amst. 1723. Omne, quod profert argumentum eo redit, ut pro-

probet, temporibus auctoris Iſagoges iam dudum praevaluiſſe nomen urbis mutatum, nec amplius priſtinum illud in uſu fuiſſe: nimirum putat ſpatium, quod intercellit inter tempus illud, quo Rege Pruſia regnante, nomen priſtinum mutatum eſt, et hoc, quo conſcripta eſt Iſagoge, circiter annorum trecentorum. Ex his colligit, nemini tunc temporis in mentem veniſſe, Aſclepiadem Pruſienſem vocare Cianum. Pergit deinde his verbis: „ce dernier paſſage eſt ſi embrouillé, qu'il ſemble, qu on ne peut guere y faire de fond. *Aſclepiade Bithynien, Cienien, qui etoit auſſi appellé Pruſien.* Que ſignifie cela? quel renverſement d'ordre, ou quelle obſcurité? Il aurait fallu dire: *Aſclepiade Bithynien de la ville de Cios, qu'on appelloit auſſi Pruſias*, ou plutot, *Aſclepiade Bithyuien, de la ville de Pruſias, qu'on nommoit auparavant Cios.* Πρȣσιὰς, dit Strabon, πρότερον Κιὸς ὠνομασθεῖσα. On dira peut-etre, qu'il faudroit traduire ainſi ce paſſage, *Aſclepiade Bithynien, Cienien, qu'on appelloit communement le Pruſien:* mais il faudroit, que l'article eût été ajouté à ce dernier mot, et au lieu, qu'il y a ſimplement Πρȣσιεὺς, qu'il eût ὁ Πρȣσιεὺς. On pourroit enfin ſoupçonnner, que le mot Κιηνὸς a paſſé de la marge dans le texte, et que c'eſt une note, que quelcun avait faite pour expliquer la quelle de trois Pruſes etoit la patrie d'Aſclepiade, mais il faudroit toujours egalement ajouter l'article.„ Haec ſunt, quae Le Clerc oppoſuit ſententiae a Garofalo vindicatae, quae tamen, ut arbitramur, infirmis nituntur adminiculis. Etenim ſi vel verum eſt, non amplius illis temporibus priſtinum urbis nomen viguiſſe, quamvis Salma-

masius l. l. contrarium sibi persuasum habeat, auctoritate fretus Plinii, qui nunquam Prusiadem, sed semper Cium memorat, quid repugnat, auctorem Isagoges addere potuisse nomen Ciani, ut indicaret pristinam nec amplius usurpatam urbis patriae Asclepiadis denominationem? Qui ergo introductionis locus, ut a Garofalo perhibetur, si verissime est sanatus, potius nos pellit, ut opinemur, nec a Galeno, nec Galeni temporibus Isagogen sic dictam conscriptam fuisse. Nam Galenus in scriptis suis semper simpliciter nuncapat Asclepiadem, aut ei impertit nomen Bithyni, aut alio modo eum denotat, quoniam illis temporibus nondum e memoria hominum evaserat Asclepiades, sectae methodicae illo aevo vigentis princeps auctor. Sed tempestate Galenum excipiente, ubi coeca ac tantum non divina Galeni auctoritas omnem antiquiorum medicorum memoriam penitus fere deleverat *a*) aut necesse erat, ut auctor Isagoges Ascle-

a) Evidenter id apparet ex collectionibus illis medicis usus itinerarii causa vel imperatorum iussu confectis, ut bene observat Bernard ad Theophan Nonnum (in prooemio not. 1.) nunc primum, opus posthumum, ut dicunt, immensa eruditionis suppelectile exornatum, in lucem publicam emissum. Pertinent huc collectiones Oribasii, Aetii, aliorumque, qui iam satis fecisse persuasi erant, si Galeni immensa volumina, aut aliorum medicorum coaevorum opera cocco animo exciperent atque exscriberent, nulla antiquiorum celebrium medicorum ratione habita, quorum egregia opera illis temporibus penitus fere oblivioni tradita erant: quo factum quoque est, ut Asclepiadis nostri opera eleganter conscripta prorsus perirent, quod iam moesto animo advertit

Asclepiadem hisce nominibus denotaret, quo Asclepiadis illius antiquissimi memóriam eo citius revocaret, atque inde caveret, ne cum aliis viris eiusdem nominis, qui et vixerant, et adhuc vivebant, commisceretur, aut auctor qualiscunque qualemcunque doctrinam suam hoc modo manifestare voluit. — Obscuritatem vero et ordinem deletum, quem in verborum consecutione deprehendere voluit Le Clerc, ingenue profiteor, me reperire non posse. Ἀσκληπιάδης Βιθυνὸς Κίανος ὅς καὶ Πρυσιεὺς ἐκαλεῖτο. Quid obscuri? — Pergit Le Clerc, ante Πρυσιεὺς poni debuisse articulum, ut loco Πρυσιεὺς legeretur ὁ Πρυσιεὺς. Sed proprio se iugulat ferro: nam in coniecturis illis, quas ipse proposuit, quoque ante Πρυσιεὺς desideratur articulus: et profecto nil refert, utrum articulus adsit, nec ne, ut potius stare debeat ante Βιθυνὸς, ut videre licet ex exemplis, quae §. 16. in nota dantur. — Ex his omnibus igitur uno obtutu consideratis evidenter liquet, hisce armis, quibus Le Clerc usus est, nondum debellatum esse Garofalo, nec, ut arbitror, debellari posse.

Haec sunt, quae hucusque a viris doctis prolata fuere hac de re, quae eo prolixius hoc loco enarrare e re putauimus, quo magis curae cordique nobis est litem illam forsitan dirimere. Nam manifestum est, illis digladiationibus nondum compositam esse. Quaestio nunc oritur, an ex auctoritate loci illius Asclepiades iure vocari possit Cianus? — Minime: et quam maxime miramur, quo tandem factum sit, ut viri illi alias in rebus antiquariis perscrutandis tam dili-

Cocchi ad script. chir. Gr. e collect. Nicet. p. 154.

diligentes ac ἀκριβεῖς Asclepiadi impertirent nomen, quod plane ab eo alienum est. Nimirum in eo consentiunt omnes scriptores, Asclepiadem originem deducere e Bithynia, idque ex urbe eius Prusa. Duae eiusdem nominis in Bithynia sitae sunt urbes: sed, quaenam earum fuerit Asclepiadis patria, ignoramus. Sit vero haec illave: neutra antiquissimis temporibus nomine Cii distincta fuit, unde Asclepiades audire posset Cianus: ut potius Prusias illa, antea Cius nuncupata, sita sit in Mysia, ut citra omnem dubitationem probavimus §. 16. not. Cum vero Asclepiades non ex Mysia sed ex Bithynia perhibeatur exortus, iam per se liquet, immerito exornatum fuisse hucusque nomine Ciani. Nam nil curarunt viri eruditi illi, ut discernerent Prusas illas Bithyniae urbes, et Prusiadem in Mysia sitam: quo errore factum est, ut tota illa lis, quae hucusque viguit, exoriretur, quae, ut opinor, hac ratione ad omnium animum optime componi potest.

Locus vero ille introductionis, quo omnis litis causa continetur, nunc plane nil probat. Nam ad liquidum perduci non potest, haec illave lectio sit vera: et omnino lectio in edit. Chart. exhibita, ea esse potest, quae manu ipsius auctoris exarata fuit, et tunc confirmatur indicium nostrum, quod iam de seriori huius libri aetate protulimus, et auctor ipse aut inscitia aut temeraria doctrina ductus errorem commisit. Veruntamen quoque negari non potest, coniecturas, quas Le Clerc medicinam loco illi faciens, ingeniosas exhibuit, forsitan aevo posteriori confirmari posse, cum codices aut MSS. clariorem affunderint lucem. Ad nostrum

ſtrum vero ſcopum loco illo plane carere poſſumus.

ASCLEPIADIS ITINERA.

§. 18. De Aſclepiadis anno natalitio, parentibus, aetate puerili aeque ac iuvenili, de educatione eius, inſtitutionibus atque praeceptoribus, de ratione, qua doctrinis operam navavit, nil nobis notum eſt. *b*) Id tantum compertum habemus, eum Parium *c*) atque per Helleſpontum profectum, et Athenis commoratum eſſe: quibus in locis artem profeſſus, multas ad eam ſpectantes collegit obſervationes, quarum nonnullas tradiderunt Cael. Aurel. II, morb. acut. 22, §. 129. p. 131. edit. Amman. et Fragm. illud apud Cocchi in ſcript. chir. Gr. e collect. Nicet. p. 154. Romam deinde ſe contulit, ubi usque ad ſenectam ſupremam et mortem exercuit artem ingenti laude ornatus, atque bono gaudens ſucceſſu, ut pluribus demonſtrabimus.

DE

b) Quam belle hancce hiſtoriae partem exornaverit Ant. Cocch (diſc. ſopra Aſclepiade) enarrat *Bianchini* (la medicina d'Aſclep. diſc. I, §. V II. vid. ſupra praefat.) Walch in antiquit. medic. ſelect. l. l. refert, veteres Aſclepiadem memorare diſcipulum Apollonii Eraſiſtratei. Inter Eraſiſtrati ſectatores vero nullum alium cognitum habeo Apollonium, niſi illum, qui Memphitis audit. Vid. Cael. Aurel. III, chr. morb. 8. §. 101. et IV. chr. morb. 8, §. 114. Sed nullibi in ſcriptis veterum reperi, memorari hunc vel alium Apollonium praeceptorem Aſclepiades: hinc plane ignoro, quonam ex fonte hauſerit Walch.

c) clarum Myſiae oppidum. Vid. Plin. H. N. V, 22, ſ. 40. et VII, 2, ſ. 2.

DE AEVO, QVO ROMAM ADVENIT.

§. 19. Nomen vero, quod praeceteris tulit insigne, nactus tunc primum est, cum Romanis medicinam faceret. Aetas ipsa, qua Romam advenit, ibi viguit, diemque obiit, nondum est tam liquida, ut ad minutissimum temporis momentum computari possit. Difficultates quibus tota res premitur, ex duobus proficiscuntur Plinii et Ciceronis locis, quorum ille (H. N. XXVI, 3.) refert Asclepiadem ad Pompeii Magni, hic vero (de orator. I, 14. ad Crassi, oratoris celeberrimi aevum: quo factum est, ut et ii, qui de Asclepiade quid scripserunt, diversas calcarent vias. Alii, sola Plinii auctoritate ducti, ut Ackermann. (inst. hist. med. p. 135.) coaevum eum arbitrantur cum Pompeio: alii, Ciceronem testem provocantes ut Walch. (in antiq. medic. select. l. c.), sibi persuasum habent, Ciceronem ipsum Asclepiade usum esse medico ac amico. Alii nec huic nec illi sententiae calculos adiiciunt; atque ab hac posteriori parte stant *Cocchi* (ad script. chir. Gr. p. 154.) et *Bianchini* (la medic. d'Ascl. §. V. et VII.) Nimirum hi viri edicunt, finxisse Ciceronem, confabulationem illam habitam fuisse a viris sapientissimis ac omni dignitate exornatis A. V. CDCLXII, quo L. Marcius Philippus et Sext. Iulius Caesar Coss. fuere, et M. Livius Drusus tribunus plebis, adeo, ut praeclarum illud de Asclepiade testimonium non ipsi Ciceronni tribuendum videatur, sed Crasso homini antiquiori, qui paucis diebus post sermonem illum habitum extinctus est, ut idem Cicero narrat (de Orator. III, ab init.)

Pergit deinde Cocchi his verbis: „cum illa Craſſi verba Aſclepiadem tum vita functum fortaſſe indicent (Plin. H. N. VII, 37.), vix credibile eſt, illi vel cum Cicerone vel cum Pompeio conſuetudinem fuiſſe, qui tum pueritiam non excesserant, nati A. V. DCXLVII, ideoque non omnino recte ad aetatem Magni Pompeii retuliſſe Aſclepiadem videtur Plinius, eo fortaſſe deceptus, quod eius libros nonnullos Mithridati inſcriptos viderit, quem regem a Pompeio devictum fuiſſe ſciebat.„ Eodem modo indicat Bianchini, qui praeterea addit: „al tempo di Pompeo Magno: cioè a dire, ſotto il ſuo Conſolato, o nell'auge maggiore di ſue fortune.„ Cf. Bayle Diction. ſ. v. — Sed ingenue confiteor, me paululum recedere a ſententia horum virorum. Nam ſi vel verum eſt, ſecundum locum illum Ciceronianum Aſclepiadem pertinere ad Craſſi aevum *d*) qui eo uſus ſit medico atque amico: tamen inde non ſequitur temporibus Ciceronis ac Pompeii eum diem iam obiiſſe. Nati ſunt Cicero et Pompeius uno eodemque anno A. V. C.DCXLVII, habitus vero eſt ille ſermo, ut Cicero fingit, A. V. C.DCLXII, anno Ciceronis atque Pompeii decimi ſexti. Sed quid eſt, quo commoti Cocchi et Bianchini contendere poſſunt, his temporibus Aſclepiadem iam e vivis ereptum fuiſſe, cum Plinius (H. N. VII, 37.) nil

d) Forſitan ambigere poſſumus, an iure referantur haec verba ad Craſſum. Nimirum ſcimus, Ciceronem tantum finxiſſe Craſſum et Antonium confabulantes, reipſa vero Craſſi ſermoni ſubiicere ſuas ſententias, ut Antonio illas Quinti fratris.

nil de morte eius memoret, ut potius supremae senectutis, ad quam pervenerat, mentionem ibi faciat? Quid est, quo ductus Bianchini edicere potest, Plinium, cum Asclepiadem ad Pompeium referret, intelligere voluisse tempus, quo Cs. fuit, summumque iam gloriae adeptus erat fastigium, cum nullibi tale quid prodatur in scriptis? — Praeterea, quod hucusque plane omissum est, apud Sext. Empiric. adv. Math. VI, p. 412. memoratur Asclepiades coaevus cum Antiocho Ascalonita, quem Athenis docentem audivit Cicero A. V. C.DCLXXIV, anno Ciceronis vigesimo octavo. Vid. Cic. Quaest. acad. IV, 43. et Plutarch. in vit. Cicer. — Ex his omnibus satis superque elucere videtur, et Crassi et Ciceronis aevo adsignandum esse Asclepiadem, quod iam fecisse videtur *Sprengel* (Vers. einer pragm. Gesch. der Arzneik. T. I. p. 436.), quamvis negari non potest, Asclepiadem iam attigisse senectutem, cum Cicero ac Pompeius annis gauderent pubertatis. Vid. Ernesti in Clav. Cic. Ind. hist. s. v. Asclep. Verum igitur quidem est, non certam interponi posse sententiam nec de anno, quo Asclepiades Romam pervenerit, nec, quo functus sit fato: tamen id evictum est, vitam ibi traxisse seculo urbis septimo, maximam vero partem in priori huius seculi parte. *c*)

 PLI-

c) Ad certam atque liquidam annorum computationem pervenire non possumus, quod iam discrimen quod inter varias scriptorum rationes intercedit, satis superque probat. Sic Anton. Cocchi (disc. I. sopr. Asclep.) sibi fingit, annum, quo natus sit Asclepiades, respondere illi U. C.DLXXX. A. C.

PLINIVS, PERHIBENS, ASCLEPIADEM ROMAE DOCVISSE RHETORICEN, REFVTATVR.

§. 20. Obtinuit, et obtinet hucusque inter nonnullos viros, qui Asclepiadis res tractarunt, error, quo plurima splendoris ac decoris ei detrahitur pars. Hinc nil nobis antiquius esse debet, quam, ut Plinium, qui primus errori illi ansam dedit, virosque, eius verba secutos, refutemus. Nimirum Plinius H. N. XXVI, 3. s. 7. sic verba facit: „Durabat antiquitas firma, magnasque confessae rei vindicabit reliquias, donec Asclepiades aetate Magni Pompeii orandi magister, nec satis in arte ea quaestuosus, ut ad alia, quam forum, sagacis ingenii, huc se repente convertit: atque, (ut necesse erat homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset, oculis usuque percipienda) torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens omnia abdicavit.„ Quae si vera essent dicta, exinde quam maxime diminui Asclepiadis merita, in aprico est. *f*) Sed bonum factum! ¡Deceptus fuit

A. C. N. CLXXIV, ut narrat Bianchini (la medic. d'Asclep. disc. I. §. VIII.) *Ackerman.* in conspectu chronologico ad inst. hist. medic. p. 585. ad annum U. C. DCL, A. C. N. C. refert, circa hoc tempus fato functum esse Asclepiadem. Vid. *Bianconi* epist. de Cels. aetat. p. 141. — *Sprengel* e contrario (Vers. einer pragm. Gesch. d. Arzneik. T. I. p. 480.) contendit, circa idem tempus Romam eum venisse.

f) Le Clerc (Hist de la Med. II, 3, 4.) et Ackerm. (instit. hist. medic. § 188. p. 133.) soli Plinio hac in re fidem irrogantes in eundem cum eo inciderunt errorem, quem inprimis refellere studet Bianchini (la medic. d'Asclep. disc. I, §. VII.)

fuit Plinius qualicunque ratione. Nam fcimus iam (§. 18.) Afclepiadem, ante quam Romam accederet, in Hellefponto, Parii, atque Athenis medicinam profeffum fuiffe, ibique varias ad rem medicam fpectantes fibi proprias feciffe obfervationes. Et fi vel hac de re nos certiores non feciffent veteres, iam omnis eius doctrina fatis fuperque probaret, fieri non potuiffe, ut ex rhetore, plane nullis antea imbuto artis medicae difciplinis, fubito, quafi Protei artibus adiutus, prodiret medicus tam probus omnibus dilectus, atque ingeniofus. Eft igitur extra omnem pofitum controverfiam, Plinium ibi memorare tam falfa de Afclepiade, ut ftatim primo obtutu contrarium feriat oculos. Cum vero quaeftio oritur, qua tandem ratione fieri potuerit, ut erraret Plinius in re, quae non multum ab fuis abeffet temporibus: valde nobis verofimile videtur, eum vel non fatis discreviffe Bithynum noftrum ab illo Myrleano (Cap. I, §. 14. Cf. Couring. de hermet. medic. c. 9.) claro Pompeii Magni aetate apud Romanos Grammatico, resque huius iisdem illius immifcuiffe, aut ipfius Prufienfis noftri hiftoriam adeo non habuiffe perfpectam, ut fcriptorem decet probum ac diligentem. Nam omnino id verum eft, prae ceteris excelluiffe Afclepiadem eloquentia, quod iam ipfe locus ille Plinianus teftatur, quo oratio eius torrens ac meditata laudatur, inprimis vero Craffi infignia verba apud Cicer. de orator. I, 14. g) Quin Galenus, quamvis femper Afclepiadis

g) Cic. „neque vero Afclepiades is, quo nos medico amicoque ufi fumus, tum, cum eloquentia vincebat ceteros medi-

piadis merita carpere tentet, pluribus tamen in locis eloquentiam aut faltem orationem eius arte ingeniofa exornatam praedicat. *h*) Fieri igitur potuit ut Afclepiades, cum Romam veniret, necdum compertum haberet, quamnam medicus experturus effet fortem, antea hominis diferti ac eloquentis partes agere maluerit, quo forfitan Romanorum huic literarum difciplinae inprimis faventium caperet gratiam, atque inde efficeret, ut in arte olim exercenda minoribus obvius fieret impedimentis ac moleftiis. Nimirum fortem, qua non multum abhinc Archagatus functus erat, odiumque, quo Romani, inprimis feveriores illi, qui mori tralatitio, ac maiorum inftitutis pertinaci acquiefcebant animo, erant inflammati, ignorare non poterat. Cum vero fenfim pedetentimque innotesceret Romanis, illique oratione eius perfecta atque arte ita effent abrepti, ut medicinam, qua polleret, plane ab illa Archagathi perfpicerent diverfam mentique Romanae aptiffimam: et cum in univerfum Romanorum feveritas iam labefactata, magis magisque vacillare inciperet, ut tandem intelligerent, magno effe emolumento ac voluptati Graecorum difciplinas: Afclepiades bono animo nec expectato fucceffu medicinam exercere incepit. Sed non fubito ex rhetore factus eft medicus, qui nulla remedia noffet, nullisque

medicos, in eo ipfo, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae.

h) Galen. de naturalib. facult. I, 19. T I. p. 94. contr. ea, quäe a Juliano in Hipp. aph. etc. c. 6. et in pluribus aliis locis.

que artis imbutus esset doctrinis: ut potius iam medicus expertus Romam veniret.

ASCLEPIADIS ELOGIA.

§. 21. Quae cum ita se haberent, non ita multum post Romae plurimum nactus est gloriae ac splendoris, tum ob medicinam suam et philosophiam, Romanorum animo aptissimas, tum ob eloquentiam et prudentiam, quibus consuetudinem gratam ac omnibus dilectam reddere conabatur. Id elogia, quae in scriptoribus occurrunt multa, satis superque probant. Pertinent huc in primis verba illa Crassi, quorum iam in paragrapho praecedenti mentionem fecimus. Strabo XII, p. 849. edit. Almelov. eum numerat inter Bithynus ἀξιολόγους κατὰ παιδείαν ἄνδρας. Apuleius (florid. p. 362. edit. Elmenh.) dicit, *inter praecipuos medicorum, si unus Hippocrates exciperetur, ceteris principem* eum fuisse. Ab Antiocho Academico apud Sext. Empiric. (adv. Log. I, f. 201. p. 214.) vocatur ἐν τῇ ἰατρικῇ μὲν οὐδενὸς δεύτερος, ἁπτόμενος δὲ καὶ φιλοσοφίας. Celsus valde eum aestimat, nuncupatque multarum rerum, quas ipse secutus esset, auctorem bonum. Scribonius Largus in epistola ad Callistum nominat eum magnum medicinae auctorem, multaque contra obtrectatores eius facit verba. An laus illa, qua Marcellus (de medicam. c. 14.) Asclepiadem insignit, ad nostrum pertineat, dubium est. Dioscorides (lib. I. praefat.) quam maxime eum, eiusque sectatores praedicat. Ipse Galenus (de natural. facult. I, 17. T. I. p. 97.) quamvis tantum non semper rodere

rodere ſolet Aſclepiadis merita, quodammodo laudem ei denegare non poteſt. Famam, qua laetatus eſt, quam maxime quoque auget ſecta ab eo inſtituta atque denominata, quae per longum temporis ſpatium ſummam obtinuit gloriam. Infra pluribus de ea ſermo erit.

MITHRIDATIS POLLICITATIONES RECVSAT.

§. 22. Quod vero inprimis Aſclepiadis clarum et apud exteros quoque inſigne teſtatur nomen eſt Mithridates ille Bithyniae rex celeberrimus atque literatus, nec minus artis medicae gnarus, qui immenſis pollicitationibus doctum ſuum gentilem ſollicitare tentabat, ut Romam relinqueret, atque ſuo adventu augeret numerum virorum eruditorum, quibus ipſe quotidie ſtipatus erat. Aſclepiades vero dilectus et magni factus a Romanis, familiaritatis ac amicitiae vinculo coniunctus cum viris omni dignitate principibus, ſpretis legatis atque pollicitationibus illis, Roma diſcedere recuſavit. Ad illum Aſclepiades volumina compoſuerat, quae, ſollicitatus ex urbe, praecepta pro ſe mitteret. *i*)

ASCLEPIADIS MORS.

§. 23. Romae vitam traxit Aſclepiades usque ad ſupremam ſenectutem ſumma cum laude, bene meritus de omnibus, quibus ſanitas labefactata erat, magni factus a coaevis ſuis, ſingulari

i) vid. Plin. H. N. XXV, 3. et VII, 37.

lari illa fruens fortuna, ut per totam vitam nullo vexaretur morbo, nec diem obiret morbo corporis compagem solvente, sed lapsu scalarum. Hinc aeque falso ac ridicule delirat Plinius H. N. VII, 37. „sponsione cum fortuna facta, ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse; et victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. „ *k*)

k) Fabric. Bibl. Gr. T. XIII, p. 8-. laudat Longavillium Harcu[illegible]um in hist. macrobior. (Mem. de Trevoux A. 1-18. Octbr. p. 630.) enarrantem: „Asclepiade, Medecin de Pruse, seroit encore en vie sans une chute, qui termina ses jours à 150 ans." Nec minus temeraria ac ne ulla quidem scriptorum nixus auctoritate contendit Ant. Cocchi (disc. sopr Asclep) vitam vixisse circiter octoginta annorum: et secundum eius arbitrariam computationem defunctus est A. U. DCLXII. Coss. M. Philippo et Sext. Julio Caesare.

Cap.

Cap. III.

De ſcriptis Aſclepiadis. l)

§. 24.

De communibus adiutoriis. *m)*

Περὶ ἀλωπεκίας. *n)*

Περὶ ἀναπνοῆς καὶ τῶν σφυγμῶν βιβλίον. *o)*

De clyſteribus. *p)*

Περὶ ἑλκῶν. *q)*

De periodicis febribus. *r)*

Li-

l) Cf. Fabric. Bibl Gr. T. XIII. p. 90. Bianchini La medina d'Aſclepiade diſc. I. §. IV.

m) Cael. Aurel. lib. I. acut. c. 15. p. 59. lib. II, chron. c. 13. p. 417.

n) Galen. de comp. medic. ſ. l. lib. I. p. 157. To. II.

o) Galen. de differ. pulſ. lib. IV. p. 51. T. III.

p) Cael. Aurel. lib. II. chron. c. 13. p. 415.

q) Caſſius Quaeſt. med. probl. XXX.

r) Cael. Aurel. lib. II. acut. c. 10. p. 96.

Liber de finibus. *s*)

In obſcuriores Hippocratis libros ſcripſit. *t*) In librum περὶ τῶν κατ' ἰητρεῖον. *u*)

Libros ſcripſit explanatorios aphoriſmorum Hippocratis. *v*)

De hydrope. *x*)

De lue (cardiaca). *y*)

Ad Mithridatem Aſclepiadis volumina extabant compoſita cum ſollicitatus ex urbe Roma, praecepta pro ſe mitteret. *z*)

Ad Eraſiſtratum ſcripſit libros paraſceuasticos. *a*)

Libri III. de celeribus ſive acutis paſſionibus. *b*)

De

s) Idem eſſe videtur cum libris, quos ſcripſit definitionum. Cael. Aurel. lib. I acut. prooem. p 6. lib. II acut. c. 13. p. 111. lib. III, acut. p. 253.

t) Galen. Comment. I. in Hippocr. de offic. med. T. V. p. 665.

u) Galen. Comment. I, in Hippocr. de offic. med. T. V. p. 667 674.

v) Cael. Aurel. lib. III, acut. c. 1. p. 181.

x) Cael. Aurel. lib. III, chron. c. 8. p. 478. et 489.

y) Cael. Aurel. lib. II, acut. c, 39. p. 176.

z) Plin. H. N. XXV. 3.

a) Cael. Aurel. lib. II, chron. c. 13. p. 416. Scrib. Larg. in praefat.

b) Cael. Aurel. lib. I, acut. p. 2. lib. I, acut. c. 15. II, 45. et ſaepiſſime in opere toto.

De pulſibus. *c*)

Libri ſalutarium ad Geminium. *d*)

De tuenda ſanitate. *e*)

Περὶ ςοιχείων. *f*)

De vini datione. *g*)

c) Galen. T. III, p. 51. de differ. pulſ. lib. IV. niſi idem cum eo, quod ſupra iam memoravimus.

d) Cael. Aurel. II. chron. c. 7. p. 386.

e) Celſ. I, 3.

f) Galen. de element. lib. I. §. 56.

g) Cael. Aurel. lib. II. acut. c. 29. p. 144. Sext. Empiric. adv. Logic. I. ſ. 91. p. 338.

Cap. IV.

De rerum Romanarum statu ante et circa Asclepiadis aevum.

§. 25.

STATVS RERVM PVBLICARVM AC CIVILIVM.

Cum rerum Romanarum statum, qualis fuit exeunte urbis seculo sexto, septimoque ineunte, uno perlustramus obtutu, non potest non unusquisque summa suffundi laetitia: advertens, quam ad insigne splendoris ac potestatis fastigium pervenerit civitas Romana, tam exigua, tam infirmis in exortu nixa adminiculis, adeo, ut nunc tantum non totius terrarum orbis tenere videretur principatum ac imperium. Nec minus tamen multis, quae de republica Romana prolata sunt ratiocinia, satis superque evictum est, iam hisce temporibus praecipuas adverti causas, quibus factum est, ut ingens illa moles ocyus serius-ve propria sua rueret ruina. Post bellum cum Hannibale finitum, *h*) Philippus, *i*) Antiochus, *k*) Aetoles, *l*) Galatesque

h) A. U. C. 552.
i) A. U. C. 557.
k) A. U. C 562.
l) A. U. C. 565.

que *m*) devicti Romanorum cesserunt potestati Legiones, quae diu cum his gentibus divitiarum abundantia diffluentibus, luxuria mollitieque effeminatis manus conseruerant, non opes solum immensas, sed mores quoque perquam depravatos Romam deportant: quid mirum civitatem Romanam mox a maiorum descitam deprehendi virtutibus. Post Perseum tandem devictum *n*), post Corinthum, Carthaginemque *o*) deletas, non gradu, sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum: vetus disciplina deserta, nova inducta, in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. Luxuria, libido, mollities, effeminatio, epulae, mensae omnibus gulae oblectamentis distinctae, commessationes, commercia cum cinaedis ac scortis, et, mirum quot et quanta id genus vitae obscoenae documenta, ad quotidianae ac fere honestae pertinere videntur vitae rationes. Ingens servorum vis e provinciis debellatis in urbem invecta, omnem hucusque Romanis reliquam evellit morum probitatem, artibusque ac praestigiis Graeculis penitus depravat iuventutem pubescentem.

Vid. *Meiners Geschichte des Verfalls der Sitten und der Staatsverfassung der Römer*, §. 2—5, ubi, ut in toto libello, egregiam huius aevi depinxit effigiem.

STATVS

m) A. U. C. 566.

n) A. U. C. 586.

o) A. U. C. 608.

STATVS LITERARVM HVIVS AEVI.

§. 26. Mentem Romanorum, quamvis aevo, quod cum maxime descripsimus, valde a genuina illa maiorum descitam, tamen nunc primum proficuam fuisse factam literis ac humanitatis studiis excolendis, inter omnes constat. Perpauca tantum ante hoc tempus extant ingenii Romani rudimenta. Mens quasi e profundo expergefacta somno repente reiicit propugnacula atque claustra, quae hucusque eam continuerunt probam quidem ac firmam, tamen rudem atque inconditam, et omnes, quibus pollet, vires impertit literis. Viri literis innutriti e Graecia migrant Romam, ibique spargunt semina, quae mox insigni pupullulant luxuria ac frugis abundantia.

PHILOSOPHIAE STATVS.

§. 27. Quod vero inprimis philosophiae cultum apud Romanos attinet, notum est, magnum praeterlapsum fuisse temporis spatium, priusquam de ea quid cogitarent: et scriptores, fata, quae philosophia apud Romanos experta est, enarrantes, auspicantur ab insigni illa Atheniensium legatione, exeunte urbis seculo sexto, quo nempe tempore legatos Romam miserunt philosophos; Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum. Dicitur iuvenes Romanos diserta virorum illorum oratione adeo fuisse abreptos, ut toto animo, ac furore amplecterentur sapientiae doctrinam: nec Catonis auctoritas, nec senatus consulta non ita multum post contra rhetoras promulgata, nec

alia id genus praesidia, quibus severiores ac austeri Romani sapientiae profectus studuerunt incidere, efficere potuerunt, ut philosophiae amor, qui tantas iam egerat radices, penitus extingueretur: ut potius deprehendamus ineunte seculo septimo viros clarissimos ac primas in republica tenentes partes tanto inflammatos philosophiae amore, ut reditus, qui iis essent ex rerum publicarum administratione, soli eius studio imperti-rent. Instar omnium hic nominare licet Scipionem Africanum et Lucullum, quorum hic, Antiochi Ascalonitae, Asclepiadis Bithyni coaevi, (§. 19.) discipulus, immensa librorum collectione, quae eius sumtibus in xysto fuit recondita, philosophiae studium valde inter Romanos divulgat. Circa hoc igitur tempus Romae iam advertimus Stoam, Academiamque celebratas, nec defuerunt, qui syncretismo essent addicti. Quod vero ad Epicuri adtinet doctrinam, Asclepiades inter primos videtur censendus, qui Romam eam transplantarent. Notum est, disciplinam morum ab Epicuro institutam a nonnullis eius in Graecia sectatoribus adeo fuisse diffamatam ac inquinatam, ut fere in omnium abiret contemtum: nec mirum Romanos, qui, quamvis ex eorum vivendi ratione colligere liceret, Epicuri de voluptate doctrinam valde distortam ad suum vitae genus adcommodasse, ex nondum plane extincta maiorum mente severiore affectarent saltem et adspirarent philosophiam austeram, non tanto amore amplexos fuisse Epicuri philosophiam, quam Stoam, aliasve scholas. Nihilominus tamen et inter insignes Romanos non defuerunt, qui in hoc philosophandi genere toti essent. Instar omnium

ex

x aevo hoc excipiente memoramus Atticum et Lucretium. Coaevi vero cum Asclepiade nostro fuisse videntur Torquatus, Vellejus, Titus Albutius, forsitan et alii, quorum catalogum recenset *Gassendi de vit. et morib. Epic.* lib. II. c. 6.

Cf. Brucker hist. crit. philos. T. II. P. I. lib. I. c. I. p. 3 — 70. Kindervater. Anmerk. und Abhandl. über Cicero's Bücher von der Natur der Götter. T. I. p. 59 — 114.

STATVS MEDICINAE.

§. 28. Antiquioribus reipublicae temporibus ars medica nulla fuit alia, quam quae omnibus est gentibus incultis: nec eius necessitas invaluit Romanis summa laetantibus sanitate militia ac agriculturae laboribus corroborata. Ex descriptione vero huius aevi (§. 25.) vidimus, res ita mutatas fuisse, ut Romani medicinae exercitium summe necessarium deberent efflagitare. Compages corporum firma ac robusta, morum pravitate, pretiosis unguentis ab exteris Romam delatis, *p*) vestibus stragulisque mollibus, commercio cum scortis et pueris vim vitae funditus extirpante *q*), mensis lautis esculentorum opibus ornatis *r*), commessationibus nocturnis praetextu sacrorum celebratis *s*)

C 3 aliis-

p) Plin. H. N. XIII, 1—5. Scip. apud Gellium N. A. VII, 10.

q) Gell. N. A. XIII, 23. Polyb. II, 1457. ed. Gr. Macrob. Saturn. II, 10.

r) Polyb. II, 1459. edit. Gron. Gell. N. A. II, 14.

s) Liv. lib. XXXIX. c. 8 — 18.

aliisque id genus obſcoenis omnemque tollentibus humanitatem rebus ita erat labefactata, ut nulla alia ratione, niſi medicinae ope, toti eius ſolutioni occurri poſſet. Cum vero Aeſculapii ars ultima fere eſſet diſciplinarum Graecarum, quae ſubinde Romae colerentur: non mirum, Romanos, priusquam illis innoteſceret doctrina ſalutaris vera, uſos eſſe iatraliptis ac medicastris, ſervis e Graecia invectis. Anno tandem urbis DXXXV, Archagathus primus venit Romam medicus: et ex benevolentia, qua exceptus eſt, colligere licet, quae et quanta eius fuerit neceſſitas Romanis. Malevolentia autem, qua Romani in medicos Graecos erant incenſi, quamque ipſe auxerat crudeli, ut fertur, medendi ratione, nondum penitus evaſerat ex hominum mentibus: quo factum eſt, ut Archagathi ars mox abiret in omnium fere contemtum.

CONCLVSIO EX HIS, QVAE HVCVSQVE ENARRAVIMVS.

§. 29. Nunc Aſclepiades advenit, et quaſi e coelo demiſſus omnium in ſe convertit oculos. Ex adumbratione aevi, circa quod Romam eum acceſſiſſe vero ſimile eſt, luce meridiana clarius apparet, comparuiſſe eum tempeſtate ſibimet ipſi artique feliciſſima. Rebus externis adiutus, ipſe eas egregie in uſum ſuum convertit: id quod ex toto libello colligere licet. Ob Epicuri doctrinam *t*) cui propriam ſuam

t) Sprengel Verſuch einer pragmat. Geſch. der Arzneik. T. I. p 456. „Auch hierinn lag ein Kunſtgriff des Aſclepiades

suam superstruxerat, multis idem cum eo cogitantibus aeque fuit carus, at omnibus fere ob artis exercitium, aliasque virtutes, auram captantes popularem, quibus odium, quod Romanorum menti inerat reliquum, prorsus dissipabat.

piades, grade dasienige System zur Grundlage seines theoretischen Lehrgebäudes zu machen, welches gar keine übersinnlichen oder intellectuellen Principien zur Erklärung der Veränderungen des thierischen Körpers anwandte, sondern alles aus unmittelbaren Wirkungen körperlicher Kräfte erklärte, und daher für eine Nation ganz gemacht war, die die Anstrengungen des Geistes weder liebte, noch auch ihrer gewohnt war„ Nequeo huic eo sententiae calculos adiicere. Nam profecto is ab omnibus contemnendus est, qui, ut meliori suae fortunae ac quaestuosae vitae consulat, totam suam doctrinam cuivis accommodet hominum menti. Minime vero Asclepiades hac notandus videtur macula, qui ob Epicuri doctrinam primum ab eo medicis disciplinis subiectam brevi de arte meritus est. Deinde cum compertum habeamus, arti exercendae iam operam eum navasse in patria, haud dubie verosimile est, illo tempore iam condidisse sibi systema, quo profecto nondum cogitaret, se iturum quondam oblatum Romanis medicinae opem. Deinceps ex descriptione fortunae, quam subiit philosophia apud Romanos (§. 17.) videre licet, perpaucos tantum eorum fuisse, qui Epicuri doctrinae verba darent: et ad summum ab his et multis aliis, qui literarum aestimabant ambitum omnino omnem, magni factus est Asclepiades ob systema, quo res medicas adumbraverat. Aegroti vero, opem eius efflagitantes haud dubie nil curaverunt, utrum huic, ullive alii philosophiae systemati esset obstrictus?

Cap. V.

Principia philoſophiae, quae atomos amplectitur.

§. 30.

PROLEGOMENA.

Cum ad doctrinae, quae res divinas humanasque tractat, primas redimus origines, animadvertimus, mentem humanam, priusquam vim, omnium, quae ſenſus feriunt, rerum effectricem, potuerit ſibi cogitare, ſoli materiei acquieviſſe cognitioni: cum deinde in veterum philoſophorum inquirimus diſciplinas, id certum atque earum menti probatum facile eruere poſſumus, rerum exortum ex nihilo plane iis fuiſſe incomprehenſum nec animo perceptum: non mirum igitur, primos illos philoſophos materiam, rerum naturae matrem, perhibuiſſe aeternam. A philoſophis, quibus ſcholà Jonica continetur, primum adumbrata materiae notio, poſteriorum, potiſſimum Pythagorae exculta ratiociniis, tandem Eleaticorum ſubtiliori ingenio fere ad argutias usque examinata eſt. Nimirum Xenophanes et Parmenides eo usque pervenerunt, ut materiam exhiberent continuam, nec ullo, quod vocamus, interceptam ſpatio inani: quo factum eſt, ut omnem tollerent motum, re-

rum

rum ortum ac interitum. Primus eorum doctrina, quae omni repugnat experientiae, offenſus Leucippus *u*) materiam illam propoſuit in minutiſſima ſolutam corpuſcula: qua ratione eam rerum naturae ac experientiae accommodavit. Subſecuti Democritus, et aevo poſteriori Epicurus doctrinam, quam nunc enarrare animus eſt, novis ſuffulcire conati ſunt argumentis.

CORPVSCVLA ET SPATIVM INANE.

§. 31. Viris, qui huic potiſſimum ſapientiae diſciplinae navarunt operam, aeque ac totius antiquitatis philoſophis id erat extra omnem poſitum dubitationem

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam,

quo factum eſt, ut corpuſcula illa, quae omnium rerum in ſe ſuſpiciunt ortum, perhiberent aeterna *v*). Quibus corpuſculis et ſpatio inani, aeque ac illa, aeterno, omnes, quas cernimus res, ortum debentur: nec ullum quid tertium datur praeter nuncupata illa corporum primordia duo *x*). Natura, qua laetantur corpuſcula,

 una

u) Egregie totam hanc rem expoſuit Ariſtoteles de generat. et corrupt. I, 8, p. 395, 96, et dignus eſt locus, qui totus ibi perlegatur.

v) Ariſtot. de Coelo I, 7. T. I. p. 345. ed. Caſaub. Diogen. Laert. lib. IX, ſ. 44. 45. Lucret. de rer. nat. lib. I, v. 160 – 265. I, v. 603 ſqq.

x) Ariſtot. de Coel. I, 7. T. I. p. 345. Galen. de element. I, p. 46. T. I. ἐτεῇ δ᾽ ἄτομον καὶ κενὸν ὁ Δημόκριτος φησίν. Lucret. de rer. natur. I, v. 430 – 483.

una eademque eſt omnibus *y*). Sunt minutiſſima, quae, cum ſub ſenſum non cadant, mente tantum concipi poſſunt *z*): ſunt inſecabilia *a*): neque enim in infinitum dividi corpus poteſt: ſunt ſolida *b*) ut corpuſcula ſpatio inani oppoſita: ſunt numero infinita, ut ſpatium inane nullis comprehendi poteſt terminis: hinc in aprico eſt, univerſum quoque ex omni parte eſſe infinitum *c*). Caeterum omnium, quas vocamus ſenſibiles, expertia ſunt qualitatum, quamvis ex iis res ſenſibiles componantur. *d*) Ad affectiones vero ſeminum illorum pertinet figura, quarum infinita perquiritur copia, *e*) quo facilius

y) Ariſtot. de Coel. I, 7. T. I. p. 345. Cicero de fin. I, 6.

z) Ariſtot. de generat. et corrupt. I, 8. p. 396. ἀόρατα διὰ σμικρότητα τῶν ὄγκων. Galen. l. l. στοιχεῖον ἐλάχιστον. Lucret. I, v. 265—329.

a) Ariſtot. de generat. et corrupt. lib. I. T. I. p. 384. Galen. l. c. στοιχεῖον ἄτομον, ἄναρμον, ἀμέριστον, ὑπο σμικρότητος ἀδιαίρετον, ὑπὸ σκληρότητος ἄθραυστον. Cf. Epicur. epiſtol. ad Herodot. apud Diog. Laert. lib. X. σώματα ἀμετάβλητα, ἀμερῆ, Lucret. I, v. 528 ſqq.

b) Cic. Acad quaeſt. IV, 37. Diog. Laert. IX, 30. 31. Lucret. I, v. 483 — 635. Hinc ſcriptoribus nuncupantur πλήρη, μεστὰ, ναστὰ, ἀμέτοχα κενοῦ, στερεὰ, σκληρά.

c) Lucret. I, v. 919 ſqq. Ariſtot. de gener. et corrupt. I, 8. T. I. p. 396. ἄπειρα τὸ πλῆθος.

d) Ariſtot. de gener. et corrupt. I, 1. T. I. p. 384. Sext. Empir. Pyrrhon hypotyp. III, 4. ſ. 33. p. 157. idem adv. Phyſ. II, ſ. 318. p. 686. ἄποια, ἀπαθῆ. Galen. l. l. Lucret. II, v. 729 ſqq.

e) Ariſtot. de gener. et corr. I, 1. T. I. p. 384. ἄπειρα τὸ πλῆθος καὶ τὰς μορφάς. Cic. de Nat. Deor. I, 24. Hinc apud

lius inde explicari poſſit exortus tot et tam diverſarum ac multivariarum, rerum, quae ſenſus feriunt. Citra haſce varias formas differunt inter ſe pro ratione atque ſitu, quam verſus ſeſe in rebus concretis obtinent. *f*)

Praeter corpuſcula illa, rerum primordia, alia quaedam innuiſſe videtur Epicurus corpora, quae nec corpuſcula proprie ſic dicta, nec corpora, ut ſenſibus obveniunt in rerum natura, ex corpuſculis quidem concreta et compoſita, ipſa componunt corpora, ut ſenſibus advertuntur. *g*)

MOTVS

apud Sext. Empiric. adv. Phyſ. l. c. nuncupantur ἀνόμοια. Lucret. II, v. 333 ſqq.

f) Ariſtot. Met. I, 4. T. II. p. 645. διαφέρειν γάρ φασιν Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος τὸ ὂν ῥυσμῷ καὶ διαθιγῇ καὶ τροπῇ μόνον. τούτων δὲ ὁ μὲν ῥυσμὸς σχῆμά ἐστιν, ἡ δὲ διαθιγὴ τάξις, ἡ δὲ τροπὴ θέσις.

g) Urget inprimis hoc diſcrimen inter atomes, concretiones ac corpora Ackerman. inſtit. hiſt. med. p. 133, ut explicet inde Aſclepiadis ſyſtema. Hinc neceſſe eſt, ut paulisper hac in re enucleanda immoremur. Nititur Ackerman. loco apud Diog. Laert. X. ſ. 42. epiſt. ad Herod. „Τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται καὶ εἰς ἃ διαλύονται. Subeunt mihi duo ex Lucretio loca, quae eandem demonſtrare videntur rem. Lucret. I, 484 ſqq.

Corpora ſunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quae conſtant principiorum.

Lucret. II, v. 132 ſqq.

Prima moventur enim per ſe primordia rerum;
Inde ea, quae parvo ſunt corpora concilatu,
Et quaſi proxima ſunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum coecis impulſa cientur;
Ipſaque, quae porro paulo maiora, laceſſunt.

Quod

MOTVS CORPVSCVLORVM.

§. 32. Porro ad corpufculorum affectiones pertinet motus, qui, cum omnibus una eademque infit natura (§. 31.), ipfe unus eft idemque, nec diverfus, vagus, inconcinnus *h*). Sunt corpufcula, ut fpatium inane, per quod feruntur, aeterna (§. 31.): hinc et motus ipfe eft aeternus, nec ullo a principio exortus. *i*) Cum vero fecundum naturam fuam corpufcula fint fimplicia, perfecte folida, indivifibilia (§. 31.), nec ullam fic dictam mutationem internam fubire poffint: nullo gaudere poffunt alio motu, nifi qui locum habet refpectu variorum corpufculorum. (*μετάβασις ἀπὸ τόπȣ εἰς τόπον.*)

EXOR-

Quod difcrimen, fi re vera locum habet, an foli debeatur Epicuri doctrinae valde dubito. Nam apud Galenum de Element. I, T. I. p 47. fecundum Democritum difcernuntur τὰ συγκρίματα et τὰ ἡμέτερα σώματα. De Leucippo idem innuere videtur Diog. Laert. IX, 31. Forfitan huc quoque trahi poteft locus ex Eufeb. praep evan. XIV, 23, ubi Didymus notat, Democritum nonnullas ftatuiffe atomos maiores. Vid. Fabric. ad Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. III, 4. p. 136.

h) Ariftot. de Coel. I, 7. T. I. p. 345. τὴν δὲ φύσιν φασὶν Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος αὐτῶν εἶναι μίαν — τȣ́των δὲ καθάπερ λέγομεν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν αὐτὴν κίνησιν. De ratione et norma, qua moventur corpufcula differunt inter fe philofophi. Vid Cic. de finib. I, 6. de fat 12. Plut. de placit. philof I, 23. Galen. de elem. I, p. 47. T. I. Lucret. II, v. 60. fqq.

i) Galen. de Elem. I, T. I. p. 47. τὸ δὲ κενὸν χώρα τὶς, ἐν ᾗ φερόμενα ταυτὶ τὰ σώματα ἄνω τε καὶ κάτω σύμπαντα διὰ παντὸς τȣ̃ αἰῶνος. Lucret. II, v. 294. fqq. Ariftot. Phyf. VIII, 2. T. I. p. 322.

EXORTVS RERVM SENSIBILIVM.

§. 33. Motus vero ille corpusculorum (§. 32.) caussa est, qua omnium, quas cernimus, rerum sit exortus. Coeunt, et hacce coacervatione formatur omnis rerum natura. Nimirum corpuscula illa, tam infinita formarum copia inter se diversa, infinitam constituunt rerum vim pro infinita coacervationum, quas subire possunt, ratione *k*). Ortus igitur rerum, est corpusculorum coitio, ut interitus, eorum discessio: et mutatio, situs ac ordo mutati *l*). Cum vero nec facultas nec qualitas insit corpusculis, et illae debeantur ortum horum coacervationi necesse est *m*).

FACVL-

k) Galen. de elem. I, p. 47. T. I. ἢ περιπλέκεται τοῖς ἀλλήλοις, ἢ προσκρούει καὶ ἀποπάλλεται, καὶ διακρίνει δὲ, καὶ συγκρίνει πάλιν εἰς ἄλληλα κατὰ τὰς τοιαύτας ὁμιλίας. κἀκ τούτου τά τε ἄλλα συγκρίματα πάντα ποιεῖ, καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα. Diog. Laert. IX, 51. Lucret II, 869. sqq.

v. 1018. Sic ipsis in rebus item iam materiei,
Intervalla, viae, connexus, pondera, plagae,
Concursus, motus, ordo, positura, figurae
Cum permutantur, mutari res quoque debent.

Aristot. de gen. et corrupt. I, 8. T. I. p. 596.

l) Arist de gen. et corrupt. I, 2. T. I. p. 585. Δημόκριτος καὶ Λεύκιππος ποιήσαντες τὰ σχήματα, τὴν ἀλλοίωσιν καὶ τὴν γένεσιν ἐκ τούτων ποιοῦσι. διακρίσει μὲν καὶ συγκρίσει, γένεσιν καὶ φθοράν. τάξει δὲ καὶ θέσει, ἀλλοίωσιν.

m) Galen. de Elem. I, p. 46. T. I. ἀξιοῦται γὰρ ἅπασι τούτοις, ἄποιον εἶναι τὸ πρῶτον στοιχεῖον, μήτε λευκότητα σύμφυτον ἔχον, ἢ μελανότητα, ἢ ὅλως ἡντιναοῦν χροιὰν, ὅτε γλυκύτητα, ἢ πικρότητα, ἢ θερμότητα, ἢ ψυχρότητα, καθ' ὅλως ἡντιναοῦν ἑτέραν ποιότητα. νόμῳ γὰρ χροιὴ, νόμῳ πικρὸν, νόμῳ γλυκύ.

FACVLTAS RATIONALIS. FATVM.

§. 34. Cum id effet philofophorum animo comprehenfum, ac probatum, praeter corpufcula ac fpatium inane nil effe aeque ac primordia illa aeternum (§. 31.): luce clarius eft, nil cogitare potuiffe de mente aeterna, qua rerum natura aut effet formata aut effecta. Nec erat, quod eiusmodi vim anxie accommodarent doctrinae, quae et fine ea bene ftaret condita et conftructa. Etenim lege aeterna ac inviolabili omnia ita funt comparata, ut hoc nec alio modo poffint procedere. Lege et natura corpufcula funt folida, infecabilia, minutiffima: lege multivariis inftructa figuris: lege moventur per fpatium inane: lege tandem coeunt, ac rerum naturam, ut fenfibus advertitur, conftituunt. Nec igitur eft, quod philofophos illos nequitiae aut mentis inertiae condemnemus, quod rerum exortum adfcripfiffent temerario ac fortuito cafui, cum potius fatum aeternum ac immutabile perhiberent. Omnia hinc fiunt neceffitate, et nihil fine caufa. *n*)

Et

γλυκὺ, ἐτεῇ δ' ἄτομον καὶ κενὸν ὁ Δημόκριτος φησὶν, ἐκ τῆς συνόδου τῶν ἀτόμων γίνεσθαι νομίζων ἁπάσας τὰς αἰσθητὰς ποιότητας, ὡς πρὸς ἡμᾶς τοὺς αἰσθανομένους αὐτῶν. Ariftot. Metaph. VIII, 2. T. II, p. 707. Lucret. II, v. 729. fqq.

n) Stob. Ecl. phyf. I, 8. I. 24. Diog Laert. IX, 33. Cic. quaeft. acad. IV, 37. Ariftot. Phyf. VIII, 2. T. I. p. 322. Galen. l. c. in not. r., ubi fecundum Democritum enarrat, qualitates νόμῳ effe exortas. Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. I, 213. adv. Math. VII, 135 fqq. VIII, 184. Quibus argumentis ductus negarit Epicurus rationem divinam, enarrat Lucretius in libro quinto, et in pluribus carminis locis.

Et Epicurus huic fato doctrinam ſuam ſuperſtruxit, quamvis multi et recentiores hiſtoriae philoſophiae ſcriptores valde eam diſtorquere ac eludere conentur. Plura protulit ac proferre debuit, de quibus nondum cogitarunt Leucippus ac Democritus: ut vel eorum doctrinam vindicaret contra ea, quae Socrates, Plato, atque Ariſtoteles illi obiecerant, vel, quas hi de mente divina enarraverant ſententias, refutaret, ac refelleret.

Vt exemplum enarrem, quod ſimul illuſtrat Aſclepiadis doctrinam, Socrates mentem divinam probare conatur ex ſapiente ac egregia partium corporis humani ſtructura, atque demonſtrat, ita eſſe comparatas, ut praeſtarent homini deſignatas utilitates ac functiones o.) Quam contra Socratis ſententiam ſe commoviſſe videtur Epicurus, cum contenderet, fato ac lege aeterna exortas eſſe corporis partes, eademque lege nos duci, ut iis hac nec alia ratione utamur, minime vero mentem divinam deſignaſſe earum uſum p).

DE ANIMO ET ANIMA.

§. 35. Aeque ac omnis rerum natura, et anima debetur atomorum coacervationi ortum, ſtructuram, et vires. Cum vero diligentius inquirerent philoſophi in naturam corpuſculorum quae

cis, ut et Cicero in libris de natura deorum. Hic vero multis fati Epicurei vindicias ſcribere, locus et ſcopus prohibet.

o) vid. Xenoph. Memorab. Socrat. lib. I. c. 6.

p) Lucret. IV. v. 821. ſqq. Galen. de Vſ. part. I. p. 307. T. I.

quae conſtituunt animam: id optime putabant elici poſſe ex eius viribus. Nempe ſecundum eorum ſententiam praecipua eius vis eſt illa, qua motum ac vitam excitat in corpore animato. In rerum natura vero nulla deprehenditur materia, quae maiori ac faciliori inſtructa eſt vi moventi, quam ignis, quem id circo ex tenuiſſimis ac rotundis compoſitum eſſe opinabantur corpuſculis *q*) Anima igitur, ut ignis, coacervata eſt ex corpuſculis rotundis, minutiſſimis ac tenuiſſimis, nec in certo quodam corporis loco ſedem habet fixam, ſed per totum vagatur ac diſſipata eſt corpus. *r*)

Cum

q) Ariſtot. de anim. I. 2. T. I. p. 478. ὁμοίως δὲ καὶ Λευκίππος· τούτων δὲ τὰ σφαιροειδῆ (πῦρ καὶ) ψυχήν, διὰ τὸ μάλιστα διὰ παντὸς δύνασθαι διαδύνειν τοὺς τοιούτους ῥυσμούς, καὶ κινεῖν τὰ λοιπά, κινούμενα καὶ αὐτά, ὑπολαμβάνοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τὸ παρέχον τοῖς ζώοις τὴν κίνησιν. Idem memorat Ariſtoteles de Democrito. Nemeſ. de nat. hom. c. 2. p. 38. ed. Oxon. Quae plura ac alia, quam Leucippus et Democritus, protulit hac de re Epicurus praeterire non poſſumus. Nimirum ſecundum eius ſententiam differunt animus et anima, cum ille ſit pars praecipua, et ad cuius nutum anima, in qua vis ſita eſt movens, moveatur. Animus et anima ortum debentur corpuſculis minutiſſimis, ac rotundis, vel potius quatuor diverſis partibus, calori, vento, aeri, et *rei cuidam innominatae, quae ex tenuiſſimis, minutiſſimis ac maxime mobilibus atomis compoſita, ſenſus eſt principium atque origo.* Vid. Lucret. III, v. 178. ſqq. Plutarch. de placit. philoſ. IV, 3. Stob. l. l. τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, τὸν δὲ ἀέρα ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δὲ ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖ αἴσθησιν. Diog. Laert. X, 63. 66.

r) Epicurus animi ſedem fingit in pectore, animam vero per totum diſſipatam eſſe corpus. Lucret. III, v. 138. ſqq.

Dio.

Cum vero ulterius progredimur in perscrutanda de anima doctrina, comperimus, autumasse philosophos, corpuscula illa, quibus formata et animata evadit anima, per pulmones transferri in corpus: nec mirum, cum adverterent, qui et quantus inter vitam, omnesque corporis motus, et inter respirationem sit nexus, adeo, ut hac intercepta, illa sine interitus periculo esse nequeat. Finis igitur respirationis est vitae generatio. Nimirum aer externus impletus est corpusculis illis rotundis, quae in inspiratione simul cum aere intrant in pulmones, ibi discernuntur, eos distendunt, atque inde impediunt, quo minus pulmones comprimi, et reliqua materia vitalis possit expelli. Quodsi materia illa non amplius resistere potest aeri circumfuso, comprimuntur ab eo pulmones, vita secedit, et moritur corpus s).

Cum

Diog. Laert. X, 66 Hinc falso idem de Democrito memorat Plutarch. de placit. phil. l. IV, 4. quod vel refutatur ex Lucret. III, v. 371. sqq.

s) Aristot. de respirat. T. I. p. 555. c. 4. λέγει δ' ὡς ἡ ψυχὴ καὶ τὸ θερμὸν ταὐτὸν τὰ πρῶτα σχήματα τῶν σφαιροειδῶν· ἐκκρινομένων οὖν αὐτῶν ὑπὸ τοῦ περιέχοντος ἐκθλίβοντος, βοήθειαν γίνεσθαι τὴν ἀναπνοήν φησιν. ἐν γὰρ τῷ ἀέρι πολὺν ἀριθμὸν εἶναι τῶν τοιούτων, ἃ καλεῖ ἐκεῖνος νοῦν καὶ ψυχήν. ἀναπνέοντος οὖν καὶ εἰσιόντος τοῦ ἀέρος, συνεισιόντα ταῦτα καὶ ἀνείργοντα τὴν θλῖψιν, κωλύειν τὴν ἐνοῦσαν ἐν τοῖς ζῴοις διιέναι ψυχήν. καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ ἀναπνεῖν καὶ ἐκπνεῖν εἶναι τὸ ζῆν καὶ ἀποθνήσκειν. ὅταν γὰρ κρατῇ τὸ περιέχον συνθλῖβον, καὶ μηκέτι τὸ θύραθεν εἰσιὸν δύνηται ἀνείργειν, μὴ δυναμένου ἀναπνεῖν, τότε συμβαίνειν τὸν θάνατον τοῖς ζῴοις. εἶναι γὰρ τὸν θάνατον, τὴν τῶν τοιούτων σχημάτων ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος ἐκθλίψεως. Cf. Aristot. de anim. I, 2. T. I. p. 478.

Cum in rerum natura omnia, quae cernuntur, qualitates referant acceptas atomorum coitioni (§. 53.): idem valere quoque de anima, nil est, quod miremur, cum ipsa sit coacervata ex corpusculis. Hinc putant Leucippus atque Democritus, rationem, ceteras alias facultates, quibus pollet anima, ex sola corpusculorum rotundorum explicari posse miscela, et, animam, rationem atque ignem iisdem gaudere partibus componentibus *t*). Epicurus mutavit eorum sententiam, quod discrimen poneret inter animum, et animam, quae ad illius moveretur nutum *u*).

DE RERVM COGNITIONE ATQVE VERITATIS CRITERIIS.

§. 56. Omnem rerum cognitionem ac veritatem fieri per sensus, id philosophis fuisse perceptum atque ratum iam ex his, quae hucusque tradita sunt, satis colligere licet.

Ut primum de Epicuro loquar, is sensus citra omnem elatos fallaciam demonstravit, indeque veram fieri cognitionem. Nam ratio nil veri aut falsi contra sensus edicere potest, quae ipsa omnis oriatur omnino a sensibus. Hinc ratio sensus refellere non potest, cum ea tantum aut negare aut affirmare debeat, quae iam a sensibus aut vera aut falsa percepta sunt. Sensibus vero

t) Aristot. de anim. I, 2. p. 479. ψυχὴν μὲν γὰρ εἶναι ταὐτὸ καὶ νοῦν. — Τοιοῦτον δ' εἶναι τόν τε νοῦν καὶ τὸ πῦρ. Cf. §. 55. not. k.

u) Lucret. III, v. 138 sqq.

vero fides eſt habenda, quod omnis expertes ſint rationis et facultatis ſpontaneae, quae rebus perceptis aut addere aut demere quid poſſit. Hinc fit, ut cuique id verum ſit, quod cuique videatur *v*).

Notiones vero, quae ratione tantum percipi poſſunt, nec in rerum natura obveniunt, omnino intelliguntur ratione, quae tamen ex notionibus rerum ſenſibilium eliciat illas, per analogiam, inductionem, ratiocinia, aliasque id genus facultates *x*).

Aliud veritatis criterium eſt illa anticipatio (πρόληψις), quae fit ex crebra ac reiterata notionis cuiusdam perceptione *y*).

 Πάϑη,

v) Diog. Laert. X, 31 ſq. Πρῶτον μὲν οὖν λέγει τὰς αἰσϑήσεις εἶναι ἀληϑῶς. Πᾶσα γάρ φησιν αἴσϑησις ἄλογός ἐστι, καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. οὔτε γὰρ ὑφ' αὑτῆς κινεῖται, οὔτε ὑφ' ἑτέρου κινηϑεῖσα δύναταί τι προσϑεῖναι ἢ ἀφελεῖν, οὔτε δοξάζειν, ἢ ψεύδεσϑαι. — Neque ratio refellere poteſt ſenſus — πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσϑήσεων ἤρτηται κ. τ. λ. Sext. Empir. adv. logic. II, ſ. 8. p 460. ſ. 63. p 469. Lucret. IV, v. 480 ſqq. ubi cetera argumenta, quibus fulcire ſtuduit doctrinam ſuam Epicurus, prolixis adumbrata leguntur verbis.

x) Diog. Laert. l. l. ὅϑεν καὶ περὶ τῶν ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσϑαι. καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσϑήσεων γεγόνασι κατά τε περίπτωσιν καὶ ἀναλογίαν, καὶ ὁμοιότητα, καὶ σύνϑεσιν, συμβαλλομένου τι καὶ τοῦ λογισμοῦ.

y) Diog. Laert. X, 33. τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσι οἱονεὶ κατάληψιν, ἢ δόξαν ὀρϑήν. ἢ ἔννοιαν, ἢ καϑολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τουτ' ἐστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωϑεν φανέντος. Sext. Emp. adv

Πάθη, tertium secundum Epicuri sententiam veritaiis criterium' huc non pertinent z).

Nunc reliquum est, ut paucis disseremus de Democriti doctrina, quae ab illa Epicuri, quam cum maxime enarravimus, primo obtutu diversa videtur. Etenim exhibuit Democritus cognitionem, quae sensibus fit, fluxam, atque incertam, propterea, quod nil occurreret nobis re vera sensibus subiectum, cum quae omnia congregant et cogunt atomi, habeant naturam vacuam omni sensili qualitate a. Praeter duo illa primordia, corpuscula et spatium inane, revera (ετεῇ) nil est: (§. 51.) qualitates vero, quae

adv. grammat. s. 57. p. 228. Vid. Kindervater's Anmerk. u. Abhandl. über Cicero's Büch. v. d. Nat. d. Gött. C. 16. 17. T. I. p. 219. Cicero l. c. notionem de prolepsi prorsus diversam profert: „*quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri nec disputari potest.* Verosimile non est, Ciceronem falsa hic elocutum esse. Forsitan, cum omnium rerum qualitates exoriantur ex atomorum coitione, et ipsae animae facultates ex corpusculorum, quae eam constituunt, proficiscantur coacervatione, forsitan, inquam, finxit sibi Epicurus, has quoque praenotiones ortum deberi corpuscularum illarum tenuium ac rotundorum concilio, nec sola pendere crebra notionis cuiusdam perceptione. Id suadent nonnulla Ciceronis verba, qui ibidem *praenotiones* nuncupat *insitas vel potius innatas cognitiones, ab ipsa natura animis omnium impressas.* Id suadent principia totius doctrinae, vel significatio verbi ipsius.

z) Sext. Emp. adv. logic. I. s. 203.] p. 412. Diog. Laert. l. c.

a) Sext. Emp. adv. logic. II. s. 7. p. 459.

quae sensibus sunt subiectae, revera non sunt, sed lege tantum (νόμῳ) tales sensibus perspiciuntur *b*). Fides igitur iis deroganda est, cum tradant ea, quae revera non sunt, et ea sola sunt vera, quae sub rationem cadunt *c*).

Quibus expositis, id nobis evictum videtur, Democritum solummodo disseruisse de veritate eius, quod est, et quod non est, et secundum principia, quae proposuerat, citra corpuscula et spatium inane nil esse verum contendere eum oportebat. De veritate, quam vocant, indicii, quid opinatus sit, nescimus: sed vero simile est, eius doctrinam ab illa, quam antea Epicuri enarravimus, haud discrepasse. Quod ut credam, commoveor, quod in privo libello sensus certos adstruere promiserat. *d*)

DE CORPORIS HVMANI STRVCTVRA.

§. 37. Lucretius *e*), ut explicet, cur sit aliquid aliis suave, aliis acerbum, ex mutua rerum ac corporis humani structura, de hoc ita loquitur:

Porro omnes, quaecunque cibum capiunt animantes,
Ut sunt dissimiles extrinsecus et generatim,

b) Sext. Emp. Pyrrh. hypotyp. I, 213. adv. mathemat. VII, 135 sqq. advers. mathem. VIII, 184. cf. supra §. 34 not. q.

c) Sext. Emp. Pyrrh. hypotyp. I, 213 sqq. advers. mathem. VII, 138.

d) Sext. Emp. advers. mathem. VII, 136.

e) Lucret. lib. IV, v. 649 sqq.

Extima membrorum circumcaesura coercet,
Proinde ac seminibus distant variantque figura.
Semina cum porro distent, differre necesse 'st
Intervalla, viasque, foramina quae perhibemus,
Omnibus in membris, et in ore, ipsoque palato.
Esse minora igitur quaedam, maioraque debent,
Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse 'st:
Multa rotunda, modis multis multangula quaedam,
Namque figurarum ut ratio motusque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figurae;
Et variare viae, proinde ac textura coercet.

Nunc facile ex his est rebus cognoscere quaeque.
Quippe, ubi quoi febris, bile superante, coorta 'st,
Aut alia ratione aliqua 'st vis excita morbi;
Perturbatur ibi totum iam corpus, et omnes
Commutantur ibi posituræ principiorum.

DE SEMINE.

§. 38. Semen est humor secretus, qui ex toto corpore per membra atque artus decedit in loca, ex quibus in coitu excernitur. Inest vero semen non viris solum, sed foeminis quoque *f*).

Semper enim partus duplici de semine constat.

DE SOMNO.

§. 39. Liceat in fine huius capitis subiungere suavidicos illos versus, in quibus Lucretius de somno secundum Epicuri sententiam loquitur.

f) Lucret. VI, v. 1031. sqq.

tur. Quae de eo ab Asclepiade prodita leguntur, obscura sunt, egregieque illustrantur versibus illis g).

Principio somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animae, partimque foras eiecta recessit:
Et partim contrusa magis concessit in altum.
Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque.
Nam dubium non est, animai quin opera sit
Sensus hic in nobis, quem cum sopor impedit esse,
Tum nobis animam perturbatam esse putandum 'st,
Eiectamque foras; non omnem; namque iaceret
Aeterno corpus perfusum frigore lethi:
Quippe ubi nulla latens animai pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,
Unde reconflari sensus per membra repente
Possit, ut ex igni caeco consurgere flamma. —

Qua vero ratione perturbari anima, et corpus languescere possit, hisce expedire studet verbis:

Principio, externa corpus de parte necessum 'st,
Aeriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque eius crebro pulsarier ictu. —
Interiorem etiam partem spirantibus aer
Verberat hic idem, cum ducitur atque reflatur.
Quare utrinque secus quam corpus vapulet, et quam
Perveniant plagae per parva foramina nobis
Corporis ad primas partes, elementaque prima;
Fit quasi paulatim nobis per membra ruina.

 Con-

g) Lucret. IV, v. 916 sqq.

Conturbantur enim poſiturae principiorum
Corporis atque animi, ſic, ut pars inde animai
Eiiciatur, et introrſum pars abdita cedat;
Pars etiam diſtracta per artus, non queat eſſe
Coniuncta inter ſe, nec motu mutua fungi:
Inter enim ſepit aditus natura viasque.
Ergo ſenſus abit mutatis motibus alte.
Et quoniam nòn eſt, quaſi quod ſuffulciat artus,
Debile fit corpus, langueſcunt omnia membra:
Brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procum-
bunt.

Deinde cibum ſequitur ſomnus, quia, quae facit
aër
Haec eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit: et multo ſopor ille graviſſimus extat,
Quem ſatur, aut laſſus capias; quia plurima tum ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.
Fit ratione eadem coniectus porro animai
Altior, atque foras eiectus largior eius,
Et diviſior inter ſe, ac diſtractior intus.

Cap. VI.

Asclepiadis doctrina philosophica et physiologica.

§. 40.

PROLEGOMENA.

Cui animus est, Asclepiadis doctrinam, quam de philosophia ac physiologia statuit, interpretari, antea eum illustrare oportet, quid sint pori, tumores, incompacta elementa, atque spiritus subtilis *h*). Quod ni faciat, non potest non in ambages incidere plexuosas inextricabilesque, unde nec salus est, nec refugium. Nimirum his principiis superstruxit totum quod condidit systema. Videtur igitur e re esse, primum versari in principiis eius explicandis, quae iam a veteribus enarrantur obscura, quo distinctius deinde atque rectius interponere possimus iudicium de iis, quae in medicina docuit.

Adnumerari debet Asclepiades iis philosophis, qui rerum primordia atomos statuunt: et

 cum

h) Galen. in libr. III. Hippocr. de morb. vulgar. Comm. I. T. V, p. 396.

cum illius doctrina manca nobis tradita ſit a veteribus, optime illuſtrari poteſt ac debet ex horum placitis, quae hunc ad finem in capite quinto enarravimus.

PHILOSOPHIAE ELEMENTA.

§. 41. Quae ab Aſclepiade de rerum primordiis prolata ſunt, hisce deſcripta verbis apud Caelium Aurelianum leguntur: *i*)

„Omnium, quae in toto terrarum orbe conſpicimus, corporum primordia ſunt corpuſcula *k*), quae in eo ſtatu, quo nondum conſtituunt res ſenſibiles, nulla gaudent qualitate, nec ſenſu, ſed ratione tantum percipi poſſunt. Perpetuo ſe movent, et concurſu ſuo, mutuisque ictibus in minutas variae formae ac magnitudinis franguntur particulas, quae, cum coeant, pro diverſa forma ac magnitudine diverſa componunt corpora,

i) Cael. Aurel. I, morb. acut. c. 14. p. 41.

k) Pro Graecorum *atomis* uſum eſſe *corpuſculis* C. Amaſanium Epicureum, quem primum de philoſophia latine ſcripſiſſe teſtatur Cicero (Acad. quaeſt. I, 2. Tuſcul. quaeſt. IV, 3.), adnotat Fabric. ad Sext. Empir. Pyrrhon. Hypotyp. III, 4. ſ. 32. p. 136. Caelius Aurelianus l. l. promiſcue loquitur de Aſclepiadis *atomis* vel *corpuſculis*. Celſus quoque in introd. profert *corpuſcula*. Apud Galenum audiunt ϛοιχεῖα et ὄγκοι, *moles*, ut et apud Sext. Empiric. l. l. et adv. Phyſ. I. ſ. 363. p. 621. Fabric. ad Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. l. c. affert locum ex Clem. (recognit. VIII, 15), ubi Aſclepiadis ὄγκοι vertuntur per *tumores* vel *elationes*. Cf. Gaſſendi animad. in Epicur. Phil. T. I. p. 177 ſqq.

pora; nunc sensibus subiecta atque qualitatibus instructa.„ *l*)

Quae Asclepiadis primordia non conspirare cum iis, quae Democriti et Epicuri supra enarravimus, in aprico est. Nam horum elementa sunt minutissima, quae in nullas dividi possunt particulas minutiores (§. 31.): secundum Asclepiadis vero sententiam franguntur, atque multivariam subeunt solutionem. Qui dissensus haud dubie omnis est exortus incuria scriptorum, qui negligerent discrimen, quod Asclepiades aeque ac Epicurus (§. 31. not. g.) statuit inter atomos, syncrises, et corpora. *m*) Syncrises omnino dividi

l) Caelius Aur. l. c. „Primordia namque corporis primo constituerat atomos corpuscula intellectu sensa (Sext. Emp. adv. Log. II, f. 210. p. 499. [illegible] adv. Geometr. f. 5. p. 311. ἐν λόγῳ θεωρητά.) sine ulla qualitate solita (ἄποια. Galen. de differ. morb. T. III. p. [illegible]. ut in pluribus aliis locis) atque ex initio comitata, aeternum se moventia, (δι' αἰῶνος ἀεικίνητα Sext. Emp. adv. Geometr. l. c.), quae suo incursu offensa, mutuis ictibus in infinita partium fragmenta solvantur, magnitudine atque schemate differentia: (Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. III, 4. f. 33. p. 156. [illegible] Galen. Introd. p. [illegible]. T. IV.) quae rursum eundo, sibi adiecta, vel coniuncta, omnia faciant sensibilia, vim in semet mutationis habentia, aut per magnitudinem sui, aut per multitudinem, aut per schema, aut per ordinem.„ (ῥυσμὸς s. σχῆμα. διαθιγὴ s. τάξις. vid. supr. §. 31. not. f.)

m) Galen. de Theriac. ad Pison. T. II p. 462. sq. εἰ γὰρ ἐξ ἀτόμου καὶ τοῦ κενοῦ κατὰ τὸν Ἐπικούρου τε καὶ Δημοκρίτου λόγον συνέστηκεν τὰ πάντα, ἢ ἐκ τινῶν ὄγκων καὶ πόρων, κατὰ τὸν ἰατρὸν Ἀσκληπιάδην. καὶ γὰρ οὗτος ἀλλάξας τὰ ὀνόματα μόνον καὶ

vidi possunt, quae ipsae sunt exortae ex atomorum coacervatione. Quo discrimine nisi egregie versabimur in diiudicandis qualitatibus, quas tribuit noster atomis vel concretionibus, et sic optime nobis prospicimus, ne scriptorum erroribus fallamur.

Sunt igitur corpuscula illa, rerum primordia, minutissima, quae ratione tantum concipi pos-

καὶ ἀντὶ μὲν τῶν ἀτόμων τοὺς ὄγκους, ἀντὶ δὲ τοῦ κενοῦ τοὺς πόρους λέγων κ. τ. λ. Ackerman. (instit. hist. medic. c. XV, §. 389. p. 155) contra hunc Galeni locum autumat, Epicuri potius syncrises ὄγκους esse nuncupatas ab Asclepiade idque ingeniose suspicatur. Nam valde vero simile est, neglexisse scriptores discrimen, quod statueret Asclepiades inter atomos, syncrises atque corpora: quo factum est, ut et nomina et qualitates promiscue attribuerent vel corpusculis, vel concretionibus. Haud dubie et Galenus eiusdem accusandus est negligentiae. Nam corpuscula audiunt potius στοιχεῖα. De element. lib. II. p 58. T. I. clare ab eo distinguuntur οἱ ὄγκοι, καὶ πόροι, καὶ τὰ ἄναρμα στοιχεῖα. — Quod vero ad verbum ὄγκος attinet, id primum ab Heraclide Pontico esse usurpatum, quem secutus hac in re est Asclepiades, luculenter docet Euseb. praep evangel XIV, 23. καὶ τούτων φασὶ τῶν ἀμερῶν ὀνοματοποιὸν Διόδωρον γεγονέναι, ὄνομα δε φασὶν αὐτοῖς ἄλλο Ἡρακλείδης θέμενος ἐκάλεσεν ὄγκους, παρ' οὗ καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ ἰατρὸς ἐκληρονόμησεν ὄνομα. Ex hoc loco egregie explicare possumus, qui sit factum, ut Sextus Empiricus et Galenus pluribus in locis simul memorarent Heraclidem Ponticum, et Asclepiadem, quatenus uterque discrepat ab Epicuro et Democrito Vid. Sext. Empir. Pyrrhon. Hypotyp. III, 4. p. 136. adv Phys. I. s 363. p. 621. adv. Phys. II, s. 318. p. 686. Galen. de tremor. spasm. et rigor. T. III. p. 369.

possunt: sunt in secabilia *n*): sunt omnium ex-
pertia qualitatum *o*): infinita figurarum [illegible]
(Ορμ...

n) Apud Galenum et Sextum Empiricum [illegible] veniunt στοιχεῖα ἄναρμα, ὄγκοι ἄναρμοι. Galen. de differ. morb. T. III. p. 199. Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. I. c. Dubius haereo de significatione huius vocis. Vero [illegible] eundem est στοιχεῖα ἄναρμα idem valere ac στοιχεῖα [illegible], et interpretes Galeni Sextique hanc vocem [illegible] incompetile, incompositum: praeterea [illegible] elementa con[illegible] cum illis Democriti ac Epicuri [illegible] insecabilibus. (§. 31.) Cum vero eadem elementa apud Coelium Aurelianum, Galenum et Sextum Empiricum [illegible] beantur secabilia, [illegible] : [illegible] eadem hic delitescere videmus [illegible], cuius iam condemnavimus scriptores, qui non [illegible] intellexerunt, discrimen, inter corpuscula et concretiones ab Epicuro et Asclepiade statutum: qui factum est, ut verbum ἄναρμοι perperam tribuerent concretionibus, quod in corpuscula tantum caderet insecabilia. — Sed forsitan ἄναρμοι rectius explicatur per *multivarium*, ut ὄγκοι ἄναρμοι sint *moles magnitudine ac forma differentes*? Sic apud Sext. Emp. adv. Phys. II. §. 318. p. 666. deprehendimus ὄγκους ἀνομοίους. — Denique [illegible] στοιχεῖα ἄναρμα sunt elementa inter se non connexa, quae ubique in spatio inani singula circumvolitant, aeternum se moventia? Forsitan iam *Le Clerc* (Hist. de Med. II, 3, 5.) hanc verborum mentem designare voluit, sic vertens: *elemens detachés, ou, qui ne s'accordent pas*.

o) Obest Sextus Empiricus, qui (Pyrrhon. Hypotyp. III, 4 p. 130.) perhibet Asclepiadis στοιχεῖα ποιά, (adv. Phys. II. §. 3. 8. p. 6[illegible]) ὄγκους [illegible], qua in re est [illegible] secutus Heraclidem Ponticum, sed fides non est deroganda Coelio atque Galeno, qui primordia illa enarrant nullis stipata qualitatibus, quas potius tribuunt, idque iure, concretionibus sive rebus sensibilibus. (§. 41. not. p.) Procul dubio et Sextus commutavit atomos et syncrises, illisque tribuit qualitates, quae his tantum adscribi debent.

copia. Perpetuo moventur, coeunt, et primum constituunt concretiones: quae invicem sibi illisae dissiliunt, novasque deinde formant concretiones vel res sensibiles, nunc omnibus instructae facultatibus ac qualitatibus, ut sensibus nostris advertuntur. (§. 31.)

QVA RATIONE ORIANTVR QVALITATES RERVM SENSIBILIVM.

§. 42. Viam, quam inierit Asclepiades ad explicandam rationem, qua corpuscula in res sensibiles se coacervantia, a qualitatibus excipiantur, protulit Caelius, sic verba faciens:

„Nec, inquit, ratione carere videatur, quod nullius faciant qualitatis corpora. Aliud enim *partes*, aliud *universitatem* sequitur; argentum denique album est, sed eius affricatio nigra: caprinum cornu nigrum, sed eius alba serrago.„

Quibus exemplis Asclepiades nil aliud demonstrare voluit, nisi, ut rerum qualitates, ut sensibus nostris occurrunt, solummodo proficiscerentur ex molecularum congerie, quae essent diversae, prout corpuscula ipsa inter se differrent, eorum coitio esset diversa. (§. 52.)

ELEMENTA CORPORIS ANIMATI.

§. 43. Illis principiis, de quibus cum maxime locuti sumus, superstruxit Asclepiades doctrinam, quam statuit de elementis et structura corporum animantium, eorumque principio, quod vocamus, rationali, de sanitate, morbo, et,

quae

quae ad res medicas ab eo exhibitas ſpectant, omnino omnia: de quibus nunc ſingulatim diſquirere animus eſt.

Corporum animantium elementa ſunt eadem corpuſcula, quae omnes res ſenſibiles conſtituunt. Complexu eorum atque connexu oriuntur viae, quae, pro magnitudine atque forma, ſitu, ordineque corpuſculorum, ipſae ſunt vel maiores vel minores, vel ampliores vel anguſtiores, vel hoc illo modo efformatae. Anguſtiſſimae, ſicut corpuſcula ipſa, ratione tantum intelliguntur, ſenſibus animadverti nequeunt. Manant intra meatuum parietes corpuſcula, intra ampliores, maiora, intra anguſtiores minora, intra anguſtiſſimos minutiſſima. (§. 37.) *p*)

SANI-

p) Cael. Aurel. l. c. p. 42. „fieri etiam vias ex complexione corpuſculorum, intellectu ſenſas, magnitudine atque ſchemate differentes.„ Galen. Introd. T. IV. p. 375. *κατὰ δὲ Ἀσκληπιάδην στοιχεῖα ἀνθρώπου ὄγκοι θραυστοὶ, καὶ πόροι.* De Theriac. ad Piſon. To. II. p. 458. Sext. Emp. adv. Geometr. ſ. 5. p. 311. — *νοητοί τινές εἰσιν ἐν ἡμῖν πόροι, μεγέθει διαφέροντες ἀλλήλων — τὰ ἔσωθεν ὑγρὰ μέρη καὶ πνεύματα ἐκ λόγῳ θεωρητῶν ὄγκων συνεστάναι.* — Apud eundem Sextum adv. Logic. II, ſ. 220. p. 400. ob veniunt *νοητὰ ἀραιώματα*: quam vocem haud dubie deſignare voluit Celſus ſtatim ab initio introductionis, cum mentionem faceret *foraminum inviſibilium*: quae, ut Graecorum *ἀραιώματα*, non promiſcue, ſed de viis anguſtiſſimis tantum dici, ex hiſce locis evidenter apparet. — Cael. Aurel. l. c. corpuscula illa minutiſſima per foramina fluitantia nominat *ſpiritum*, *λεπτομερὲς* (*πνεῦμα* Sext. Emp. l. c.) cetera ſolidioris indolis *ſuccos* vel *liquida*. (*ὑγρὸν*, Sext. Emp. l. l.)

SANITAS. MORBVS. SANATIO.

§. 44. Quae cum ita se habeant, difficile non est perspectu, quamnam sibi finxerit Asclepiades notionem de sanitate et morbo. *Sanitas* est, cum corpuscula aequali modo, nec ullis intercepta impedimentis per meatus feruntur: *morbus*, cum ratio illa, quae in statu sano inter meatus et corpuscula manantia intercedit est laesa, atque adsunt impedimenta, quae aequalem eorum motum turbant: *sanatio* cum ratio illa, quae ad statum sanum requiritur, medela restituitur adeo, ut motus corpusculorum secundum sanitatis leges procedere possit.

En! hae sunt Asclepiadis moles nugatoriae mirabilesque r) illa doctrina elementaris Asclepiadea, quam Galenus, et plures eius auctoritate occoecati tanta ambitione perstringunt. Sed si totam hanc rem, nullius addicti iurantes in verba, nullis opinionibus ducti praeiudicatis, rite inspiciamus, non possumus non confiteri, doctrinam illam non adeo esse nugatoriam, ut potius quotidie a nobis agnoscatur. Quid? — Cor-

q) Galen. rat. med. lib. IV. p. 77. T. IV. Ἀσκληπιάδης ἐν συμμετρίᾳ μέν τινι πόρων, τὸ ὑγιαίνειν ἡμᾶς ὑποθέμενος, ἐν ἀμετρίᾳ δὲ τὸ νοσεῖν, ἐπάνοδον εἶναι τὴν θεραπείαν εἰς τὴν ἀρχαίαν συμμετρίαν τῶν πόρων ὑπέλαβεν. De Hippocr. et Platon. decret. lib. V. p. 283. T. I. Cael, Aurel. l. c. „ per quas (vias) succorum ductus solito meatu percurrens, si nullo fuerit impedimento retentus, sanitas maneat, impeditus vero statione corpusculorum morbos efficiat.„

r) Galen. de natural. facult. I. p. 91. sqq. To. I. de Element. lib. II. p. 68. To. I.

Corpuſcula partes corporis animalis conſtituentia ſunt *ſolida*, quae vocamus, meatus, *vaſa*, corpuſcula manantia, *fluida* ſive *humores?* Et foramina illa inviſibilia perhibuiſſe videtur non ſola nimiaque ſyſtematis ſtabiliendi ambitione ductus. Nam intelligit vel vaſa minima, vel interſtitia, quae inter fibras, telamque celluloſam intercedunt. — Praecipue vero Galeni convicia atque obtrectationes perpeſſus eſt Aſclepiades propterea, quod, principiis illis ductus, tolleret vires et in tota rerum natura, et in corpore animato agentes: qua de re, an iure ſit contemnendus, nunc diſpicienus.

ASCLEPIADIS NOTIO DE NATVRA EIVSQVE VIRIBVS.

§. 45. Cum Aſclepiades aeque ac Democritus et Epicurus praeter corpuſcula et ſpatium inane nil ſtatueret, quod vel eſſet primordium, vel vis quaedam divina, rerum naturae cultrix aut effectrix: non poteſt non facile perſpici, explicare debuiſſe rerum exortum ex lege aeterna, qua primordia continentur. Nil igitur putat exoriri fato temerario, *ſed omnia fieri neceſſitate et nil ſine cauſa:* s) neceſſitate ac lege aeterna primordia iactantur: neceſſitate moventur, coëunt, omnesque conſtituunt res, ut a nobis con-

s) Cael. Aurel. l. c. p. 43. Perperam igitur, et contra principia ſphiloſophiae corpuſcularis coniicit *Le Clerc* (Hiſt. de Med. II, 3, 5.) hocce placitum a Caelio eſſe deſumtum e philoſophia Stoicorum, falſoque intruſum Aſclepiadis *ſententiis.*

conſpiciuntur. Hinc intelligere poſſumus, qui dicere potuerit, *naturam nil aliud eſſe, quam corpus vel eius motum. t*) Nimirum ſecundum doctrinae principia negat naturam rationalem ac divinam, omnia in rerum natura adminiſtrantem. In corpuſculis vero, eorumque motu ſita eſt cauſa, ex qua omnia, quae ſiunt, proficiſcuntur. (§. 34.)

Eadam ratione negat quoque naturam in corpore animato vigentem, eiusque functiones adminiſtrantem. Etenim ex iis, quae (§. 41.) enarravimus; ſcimus, Aſclepiadem corpuſcula elementaria ſtatuiſſe nullis gaudentia qualitatibus, quae, ut in eas in rerum natura offendimus, ſola corpuſculorum coacervatione orirentur. Eidem igitur neceſſitati, qua omnes res in orbe terrarum ſtipatae ſunt, partes corporis animatis ſunt ſubiectae: eadem lege obſtricti ſumus, ut iis hac nullaque alia ratione utamur: ab eadem lege proficiſcuntur vires, quas in corpore advertimus. Nullae adſunt vires inſitae atque innatae. *u*) (§. 34.)

NVTRIMENTORVM DIGESTIO.

§. 46. Ut rite de hacce corporis animati functione poſſimus diiudicare ſecundum Aſclepiadis

t) Cael. Aurel. l. c.

u) Galen. de Vſ. part. XI. p. 489. T. I. ubi ex ſapiente ac egregia dentium ſtructura contra Aſclepiadem probare conatur mentem divinam, qua illi eſſent efformati, et ad hominum uſum deſignati. Cf. Natural Facult. I, p. 91. ſqq. T. I. De Tremor. palp. et rigor. T. III. p. 369. Ἀσκληπιάδης γὰρ οὐ μόνον τὸ θερμὸν, ἀλλ' οὐδ' ἄλλην τινὰ τίθεις ἔμφυτον δύναμιν.

piadis doctrinam, fcire nos oportet, materiam ei fuiffe immutabilem atque inalterabilem, neque aliam fubire poffe mutationem, nifi, quae locum habet in vario ac mutato corpufculorum connexu, fitu, atque ordine. Corpufcula ipfa mutari non poffunt: funt enim infecabilia, impaffibilia, nullisque ftipata qualitatibus. (§. 33.) v)

Elucet igitur, Afclepiadem, ut explicaret digeftionem, non refugere potuiffe ad putredinem, quae fecundum phyficorum dicta internam, ut ita dicam, particularum conftituentium requirat mutationem: neque, ut Hippocrates, ad calidum, quod nobis innatum negaret. (§. 45.) Arbitratur potius, digeri ac folvi nutrimenta in ventriculo, *nihilque concoqui, fed crudam materiam, ficut affumta fit, in corpus omne diduci* x). Nimirum cibi quos ingerimus, nullam aliam in ventriculo experiuntur mutationem praeter folutionem in corpufcula illa elementaria nullius qualitatis, eaque pro diverfa figura ac magnitudine per diverfas diguntur ac diducuntur vias ficque fingulas corporis partes componunt. y)

 Ex

v) De differ. morbor. T. III. p. 109. οὐ γὰρ ἐνδέχεται παθεῖν τι τὴν ἄτομον αὐτὴν, ἀλλ' ἐν τῇ συνθέσει τε καὶ διαπλάσει τὸ πάθημα

x) Celf. in introduct. Galen. definit. medic. T. IV. p. 393.

y) Cael. Aurel. l. c. p. 44. „neque ullam digeftionem in nobis effe, fed folutionem ciborum in ventre fieri crudam, et per fingulas particulas corporis ire, ut per omnes tenuis vifa penetrare videatur. quod appellavit λεπτομερές, fed nos intelligimus fpiritum. -- Et neque inquit fervventis

Ex loco quodam Galeni ſatis ſuperque mihi liquere videtur, praeterea Aſclepiadem ſententiam ſuam comprobare voluiſſe experientia, cum diceret, cibos, ſi vel ructuum ex iis in ventriculo commorantibus orientium habeamus rationem, vel animadvertamus, quales ii aut vomitu eiecti, aut poſt ventriculi diſſectionem, in conſpectum

veritis qualitatis, neque frigidae eſſe, nimiae ſuae tenuitatis cauſa, neque alium quemlibet ſenſum tactus habere, ſed per vias receptaculorum nutrimenti nunc arteriam, nunc nervum, vel venam, vel carnem fieri „ Locus hic multis premitur obſcuritatibus, et veri ſimile eſt, menda quadam eum laborare, quae haud dubie deliteſcere videtur in verbis illis: *ut per omnes tenuis viſu penetrare videatur.* Forſitan qualemcunque exhibere poſſumus medicinam, ſi pro *viſu* legamus *vita.* Nam ſecundum Aſclepiadem, ut paulo inferius demonſtrabimus, aeque ac ſecundum Democritum et Epicurum (§. 35.) a tenuiſſima illa materia (*λεπτομερὲς*) pendet, vita, calor, reſpiratio, et anima. Senſus igitur loci illius Caeliani hic eſt: Solvuntur cibi in ventriculo in corpuſcula, quorum ſingula ad *ſingulas* corporis transeunt partes, ibique vel nervos, vel arterias, et ſic omnes formant corporis partes: tenuiſſima (*vita, materia vitalis, λεπτομερὲς, ſpiritus*) vero ad *omnes* abeunt partes, cum omnibus inſit *vita* atque *calor.* Quae ſequuntur verba: *Et neque — carnem fieri*, non de ſpiritu ſed de corpuſculis nutrientibus intelliguntur. — Mendum in his Caelii verbis ſubeſſe, iam ſuſpicatus eſt Ammannus, qui in margine adnotavit, forſitan pro *tenuis viſa* legendum eſſe *tenues vias.* Sed tenuiſſima illa materia (*λεπτομερὲς*) non ſolum per tenues ſubtileſque vias manat, ſed omnibus humoribus ac partibus corporis vitam ac calorem impertit. Deinde verba illa *ſingulas particulas corporis* et *omnes tenues vias* non rite ſibi reſpondent. Nam ſenſus eſt: ſicut per *ſingulas* meant corpuſcula nutrientia, ita per *omnes* ſpiritus ille.

tum veniant, ne minima quidem concoctionis atque mutationis internae prae ſe ferre ſigna, ut potius eorum, etiamſi iam ſint in ventriculo, idem ſentiri poſſit guſtus, isque tantum non ſemper auctior, quam, qui ſentiatur, ſimulac aſſumantur. z)

Praeterire hic non poſſumus, quae Aſclepiadis monuit contra Eraſiſtratum de digerendo ac diſtribuendo per totum corpus nutrimento. Nimirum ſecundum Eraſiſtratum per venas feruntur cibi in ventriculo cocti ad omnes corporis partes. Arbitratur deinde, venas, evacuato humore nutriente, vel vacuas, vel, ſi ſtatim ab novo eius affluxu excipiantur, repletas fieri. Aſclepiades vero monet, venas non ſolum vel vacuas vel repletas, ſed collapſas quoque eſſe poſſe. a).

z) Galen. de natur. facult. III, p. 111. T. I. καὶ γελοῖος μὲν Ἀσκληπιάδης, ὅτ᾽ ἐν ταῖς ἐρυγαῖς λέγων ἐμφαίνεσθαι ποτὲ τὴν ποιότητα τῶν πεφθέντων σιτίων, ὅτ᾽ ἐν τοῖς ἐμέτοις, ὅτ᾽ ἐν ταῖς ἀνατομαῖς. αὐτὸ γὰρ δὴ, τὸ τοῦ σώματος ἐξ αὐτῶν αὐτὰ, τῆς κοιλίας ἐστὶ τὸ πέττεσθαι· εἰ δ᾽ ὅπως ἐστὶν εἰπεῖν, ὡς ... τῶν παλαιῶν ἀκούει λεγόντων ἐπὶ τὸ χρηστὸν ἐν τῇ γαστρὶ μεταβάλλειν τὰ σιτία, δοκιμάζει ζητεῖν οὐ τὸ κατὰ δύναμιν, ἀλλὰ τὸ κατὰ γεῦσιν χρηστόν. Cf. cum hoc loco alius, qui extat in fragm. Galen. Commem. II, in lib. Hippocr. de alimento, ubi eadem ſententia fere iisdem enarrata verbis legitur.

a) Galen. de natur. facult. II, p. 98. T. I. καὶ τοίγε οἴεται (Eraſiſtratus) παντὸς μᾶλλον ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, ὡς εἴπερ ἐκ τῶν φλεβῶν ἀποῤῥέοι τι, δυοῖν θάτερον ἢ κενὸν ἔσεσθαι τόπον ἀθρόως, ἢ τὸ συνεχὲς ἐπιῤῥυήσεσθαι, τὴν βάσιν ἀναπληροῦν τοῦ κενουμένου. ἀλλ᾽ ὅγ᾽ Ἀσκληπιάδης οὐ δυοῖν θάτερον φησιν, ἀλλὰ τριῶν ἕν τι χρῆναι λέγειν ἐπὶ ταῖς κενουμέναις ἀγγείοις ἔσεσθαι, ἢ

DE RESPIRATIONE.

§. 47. Pulmones secundum Asclepiadem comparantur cum infundibulo: quam si velimus invenire similitudinem, cogitare debemus infundibulum inversum. cuius finis in apicem excurrens tracheam, lumen vero amplius pulmones exaequat.

Causa respirationis, inquit, est spiritus ille (λεπτομερὲς) ex minutissimis compositus corpusculis, qui multo est subtilior leviorque aere externo: quo fit, ut aer atmosphaericus gravior, crassiorque pulmones intrare possit. Fit igitur hac ratione inspiratio. Aere externo pulmones ita replentur, ut magis distendi nequeant: exit igitur, et fit exspiratio. Materia vero illa subtilissima, quae in aere externo est soluta ac dissipata, remanet in pectore: quo fit, ut denuo, aer atmosphaericus intrare possit. (§. 35.)

Quam pulmonum actionem comparat cum ea, quae in cucurbitulis advertitur, quae sicuti sunt affixae, aerem intra se habent attenuatum, si

ἢ κενὸν ἀθρόον τόπον, ἢ τὸ συνεχὲς ἀκολουθήσειν, ἢ συστάλλησεσθαι τὸ ἀγγεῖον. ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν καλάμων καὶ τῶν αὐλισκων τῶν ἐις τὸ ὕδωρ καθιεμένων, ἀληθες ειπεῖν, ὅτι τοῦ περιεχομένου κενουμένου κατὰ τὴν ἐυρυχωρίαν αὐτῶν ἀερος, ἢ κενὸς ἀθρόος ἔστι τόπος, ἢ ἀκολουθήσει τὸ συνεχές. ἐπὶ δε τῶν Φλεβῶν, οὐκέτ᾽ ἐγχωρεῖ, δυναμένου δὴ του χιτῶνος αὐτῶν, ἐις ἑαυτὸν συνιζάνειν, καὶ διὰ τοῦτο καταπιπτειν ἐις τὴν ἐντὸς ἐυρυχωρίαν.

ſi vero retrahuntur, aerem externum in ſe ſuſcipiunt graviorem *b*).

Utilitas reſpirationis eſt animae generatio; id quod pluribus demonſtrabimus paragrapho ſequenti, ubi de anima ſermo erit. *c*) (§. 55.)

Ceterum putat Aſclepiades, reſpirationem obtemperare arbitrio noſtro, contractis anguſtiſſimis pulmonis meatibus voluntati ſubiectis. *d*).

b) Plutarch. de placit. philoſ. IV. 22. *Ἀσκληπιάδης τὸν μὲν πνεύμονα χώνης δίκην συνίστησιν, αἰτίαν δὲ τῆς ἀναπνοῆς τὴν ἐν τῷ θώρακι λεπτομέρειαν ὑποτίθεται. Πρὸς ἣν τὸν ἔξωθεν ἀέρα ῥεῖν τε καὶ φέρεσθαι παχυμερῆ ὄντα, πάλιν δὲ ἀπωθεῖσθαι, μηκέτι τοῦ θώρακος οἵου τε ὄντος μήτ' ἐπιδέχεσθαι, μήτ' ἰσχειν, ὑπολειπομένου δέ τινος ἐν τῷ θώρακι λεπτομεροῦς ἀεὶ βραχέος (οὐ γὰρ ἅπαν ἐκκρίνεται) πρὸς τοῦτο πάλιν τὸ ἐπιμένον βαρύτητα τὸν ἐκτὸς ἀντιστηρίζεσθαι. Ταῦτα δὲ καὶ ταῖς σικύαις ἀπεικάζει.* Cf. Galen. de hiſt. philoſ. T. IV. p. 435. ubi Aſclepiadis ſententia iisdem fere adumbrata verbis exhibetur, et hinc veri ſimile fit, quod iam plures ſuſpicati ſunt opuſculum Plutarchi Galenique ab uno eodem eſſe conſcriptum auctore — *Lionardo di Capoa* (Raggion. V. p. 369. le Clerc l. c.) putat, Aſclepiadi hac ratione reſpirationem explicanti iam perſpectam fuiſſe vim ſic dictam elaſticam, quae aeri tribuitur. Sed nil eiusmodi ex ſcriptoribus elucet, et ſummopere cavere nos oportet, ne fictas perhibeamus actiones. Cf. Bianchini la med. d'Aſcl. diſc. II. §. X.

c) Galen. de uſu reſpirat. p. 155. T. III.

d) Galen. Hiſt. phil. l. c. *τὴν δὲ κατὰ προαίρεσιν ἀναπνοὴν γίνεσθαι συναγομένων τῶν ἐν τῷ πνεύμονι πόρων· ταῦτα γὰρ τῇ ἡμετέρᾳ προαιρέσει ὑπακούειν.*

§. 48. Mancam atque obſcuram nobis tradiderunt Veteres hancce Aſclepiadis diſciplinam, clariorque lux peti debet ex iis, quae ſupra Democriti ac Epicuri placita explanavimus. (§. 35.)

Scimus iam, Aſclepiadem praeter primordia illa, corpuſcula et ſpatium inane nil ſtatuiſſe: ſcimus, negaſſe vires nobis innatas, quae, ut omnes rerum qualitates, ortum deberentur corpuſculorum coitioni. Ex his iam id nobis comprehenſum eſſe poteſt, animam animumque fingere ſibi non potuiſſe vires proprias, diverſas a materia, mentique incomprehenſas, *e*) ſed ex iisdem primordiis, ex corpuſculis formatam materiam.

Ex adumbratione philoſophiae Democriti et Epicuri (§. 35.) perſpectum habemus, philoſophos illos perſuaſos fuiſſe, animam eſſe compoſitam ex tenuiſſimis atque rotundis corpuſculis. In eadem ſententia eſt Aſclepiades, atque aeque ac illi putat, a corpuſculis illis pendere vitam, motum, ſenſus, et calorem animalem, eaque in corpus ingeri reſpiratione, atque per totum vagari corpus. *f*)

DE

e) Galen. de plenitud. p. 346. T. III.

f) Cum plurima ex Aſclepiadis doctrina notioni, quam ſibi formavit de λεπτομερεία, ſint ſuperſtructa, nil nobis antiquius eſſe debet, quam nunc in eam diligentius inquirere. *Spiritus* ille, quem λεπτομερίαν appellavit Aſclepiades (Cael. Aurel. morb. chron. III, 4. p. 455.), qui coacervatus eſt ex tenuiſſimis corpuſculis (Cael. Aurel. morb. acut. I, 15.

DE RERVM COGNITIONE ET VERITATIS CRITERIIS.

§. 49. Videtur Aſclepiades in eo eſſe ſecutus Democritum, cum cognitionem per ſenſus pro-

I, 15. p. 48. et p. 57.) ingeritur in corpus reſpiratione (§. 47.): ſed non ſola reſpiratione, ſed cibis quoque in ventriculo ſolutis ac digeſtis in corpuſcula elementaria (§. 46. not. y.) Ingeſtus in corpus tendit ad cor, quod eum una cum ſanguine omnibus miniſtrat corporis partibus (Cael. Aurel. morb. acut. II, 34. p. 154.) Inſervit tunc omnibus functionibus, quae ad animam vitamque ſpectant. Pendet ab eo calor in corpore animato. Hinc Caelius ſpiritum ipſum vocat *ferv[illegible]rem* (morb. acut. I, 15 p. 46. et 48.); pendet ab eo ſenſus, et in cauſa eſt, ut externas res ſentire poſſimus. Hinc explicare poſſumus, cur dolores ei adſcribantur (Cael. Aurel. morb. ac. I, 15. p. [illegible].), et omnes affectiones, quae eum affligant, ut plura advertere in toto libello locus erit. Proficiſcitur ab eo conſenſus, qui inter varias corporis partes intercedit (Cael. Aurel. morb. chr. III, 4. p. 455.) — Ex hacce diſquiſitione intelligitur, cur putarint Aſclepiadis ſectatores, (Galen. natur. facult. I, p. 90. 91.) ὅτι [illegible] τινὰ θείαν ἢ [illegible] — [illegible] ἐκεί-[illegible] [illegible]. Patet nunc, cur negarit Aſclepiades *regnum animae deſigna in corporis parte conſtitutum*. (Cael. Aurel. ac morb. I. 15. p. 45.) Evidentius id elucet ex loco quodam Tertulliani (de anima. c. 15.), ex quo diſcere poſſumus, forſitan Aſclepiadem ſententiam de animae ſede vaga contra philoſophos coaevos, inprimis contra Stoicos, quorum communis fuit ſententia, corde nos ſapere (Lipſ. phyſiol. Stoic. III, 18. Gataker. ad M. Anton. IV, 3.) experimentis ac uſu comprobare voluiſſe. Tertulliani verba haec ſunt: „etiam Protagoras etiam Apollodorus et Chryſippus haec ſapiunt, ut vel ab

iſtis

probaret fluxam atque incertam (§. 36). Etenim cum aeque ac ille praeter duo illa primordia nil statueret, quod re vera esset, cum opinaretur, omnia, quae in rebus sensilibus animadvertantur, solummodo proficisci ex corpusculorum coacervatione, quae cum motu eorum mutato ipsa omni temporis momento mutarentur: non potuit non persuasus esse, nil veri sensus nobis tradere. *g*) Videtur id probare voluisse ex coloribus, qui si paulatim misceantur, non poterit visus discernere, quae paulatim fiant mutationes. *h*)

Nihil-

istis retusus Asclepiades capras suas quaerat sine corde balantes et muscas suas abigat, sine capite volitantes.,, Discessisse ab Asclepiade videntur sectatores eius, qui contenderent, animam quidem per totum dissipatam esse corpus, ita tamen, ut alteri membro altero magis sit adnexum. Galen. de Hist. phil. p 426. T. IV. — Tenuissima illa materies sedem habet in tenuissimis meatibus corporis. (Cael. Aurel. I. morb. acut. 15. p. 57.) — Ceterum an Asclepiades intellexerit sub λεπτομερεία, quartam illam minutissimorum corpusculorum partem innominatam, in qua secundum Epicurum situm est sensus principium (§. 35. not. q.) non satis liquet, cum nil hac de re scriptores prodant. — In fine huius disquisitionis id admonuisse iuvabit, Asclepiadem spiritui illi tribuere omnes functiones quas recentiores nervis adscribunt.

g) Sext. Emp. adv Logic. II. s. 7. p. 459. ὁ δὲ Πλάτων (dicit, nil veri per sensus indicari posse) διὰ τὸ γίγνεσθαι μὲν ἀεὶ τὰ αἰσθητὰ, μηδέποτε δὲ εἶναι, ποταμοῦ δίκην ῥεούσης τῆς οὐσίας. ὥστε ταὐτὸ μὴ δύο τοὺς ἐλαχίστους χρόνους ὑπομένειν, μηδὲ ἐπιδέχεσθαι, καθάπερ ἔλεγε καὶ Ἀσκληπιάδης, δύο ἐπιδείξεις, διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς ῥοῆς.

h) Sext. Emp. adv. Log. I. s. 91. p. 338.

Nihilominus tamen ſenſus unicae ſunt viae, quibus res externas, et quae in eas cadunt, poſſumus percipere, cum ratio per ſe nil ſit, atque prorſus a ſenſuum actione pendeat. *i*) Non omnem evellere voluit rationem, ſed eam tantum negare, quae eſſet diverſa a ſenſuum actione et ſubſtantia. *k*)

Notiones vero rerum occultarum acquirimus per reiteratam ſenſuum functionem, analogiam, inductionem, memoriam, et alias id genus ſenſuum virtutes. *l*)

Quae

i) Sext. Emp. adv. Log. I. ſ. 201. 2. p. 412. οὐκ ἀπεοικεν δὲ τῆς τούτων δόξης εἶναι καὶ οἱ ἀπὸ [illegible] κριτήριον ὑπάρχειν τῆς ἀληθείας τὰς αἰσθήσεις· ὅτι γὰρ ἐχρήσατό τινες τὸ τοιοῦτο ἀξιοῦντες, [illegible] Ἀντίοχος ὁ ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας, ἐν δευτέρῳ τῶν κανονικῶν ῥητῶς γράφας ταῦτα. ἄλλος δέ τις. — ἐτίθετο τὰς μὲν αἰσθήσεις [illegible] καὶ ἀληθεῖς ἀντιλήψεις εἶναι. λόγῳ δὲ μηδὲν ὅλως ἡμᾶς καταλαμβάνειν. ἐδόκει γὰρ διὰ τούτων ὁ Ἀντίοχος τὴν [illegible] στάσιν καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν ἰατρὸν [illegible], ἀναιροῦντα μὲν τὸ ἡγεμονικὸν. κ. τ. λ. Cf. id. adv. Log. I. ſ. 380. p. 445.

k) Cael. Aurel. I, acut. morb. 14. p. 45. „etenim nil aliud eſſe dicit animam, quam ſenſuum omnium coetum„ Galen. defin. med. p. 305 T. IV.

l) Cael. Aurel. l. c. „intellectum occultarum vel latentium rerum per ſolubilem fieri motum ſenſuum, qui ab accidentibus ſenſibilibus, atque antecedenti perpectione perficitur.„ Diſtinctius loquitur Galen. natur. facult. I. p. 91. T. I. κατὰ δ' αὖ τοὺς ἑτέρους (Aſclepiadis ſectatores) οὔτε τούτων οὐδὲν ὑπάρχει τῇ φύσει, οὔτ' ἔννοιά τις ἐστι τῇ ψυχῇ σύμφυτος ἐξ ἀρχῆς, οὐκ ἀκολουθίας, οὐ μάχης, οὐ διαιρέσεως, οὐ συνθέσεως, οὐ δικαίων, οὐκ ἀδίκων, οὐ καλῶν, οὐκ αἰσχρῶν, ἀλλ' ἐξ αἰσθήσεώς τε καὶ δι' αἰσθήσεων ἅπαντα τὰ γινόμενα φασιν ἡμῖν ἐγγί-

Quae hucusque tradita ſunt, ſi uno perluſtremus obtutu, id evictum deprehendimus, negaſſe Aſclepiadem mentis vires atque virtutes peculiares, diverſas a ſenſibus. Evadit animus ex ſenſuum exercitio, qui, quamvis nulla fide digni, tamen nobis tradunt rerum notiones certas per crebriorem ac alternum motum. Ex hisce notionibus animus ſibimet ipſe parat notiones rerum occultarum per ratiocinia a ſimilibus ad ſimilia.

In calce huius diſputationis admonere liceat, quod ſaepius fieri ſolet, ut diſcipuli magistrorum dogmata aut ignorantia ducti, aut ſectarum ambitione inflammati, multimodo diſtorqueant et vellicent, id Aſclepiadi quoque accidiſſe. Enarrat Galenus, nonnullos eius fuiſſe ſectatores, qui mentis, qua indicat, virtutem evellerent omnem, immo profiteri non erubeſcerent, ſenſuum affectibus nos duci pecorum ritu, nec poſſe renuere reſpuereve quicquam. Iisdem auctoribus, fortitudo, prudentia, temperantia, modeſtia, merae ſunt nugae: nec amamus nosmet ipſos, nec prolem: nec diis ulla noſtrum cura: iidem auguria, inſomnia, portenta, omnemque contemnunt aſtrologiam. *m*)

DE SECRETIONE.

§. 50. Negat Aſclepiades ſecretionem, quae ſecundum plurimorum medicorum ſententiam per-

ἐγγίνεσθαι, καὶ φαντασίαις τισὶ καὶ μνήμαις οἰακίζεσθαι τὰ ζῶα. Hinc patet, quid ſit, quod Caelius l. c. memoret, *memoriam fieri per alternum ſenſuum exercitium.*

m) Galen. natural. facult. l. c.

perficitur viribus naturae in corpore animato vigentis, ea ne ſuperſedere poteſt ob doctrinam, quam prodidit de corpore animato, atque inprimis de nutrimentorum digeſtione.

Ut primum loquatur de ratione, qua urina ſecedit in veſicam, putat Aſclepiades, humores, quos in ventriculum ingerimus, ibi in halitus ac vapores ſolvi, per meatus ferri in veſicam, ibi colligi, atque latices, quos urinam vocamus, emitti. *n*)

Mirum omnino videtur, Aſclepiadem renes omni privaſſe functione: ſed iam Le Clerc *o*) coniicit, forſitan iuxta eos tantum ſtatuiſſe viam illam breviorem per meatus, haud dubie experientia nixum, qua ſaepius non multum poſt ingeſtos humores veſicam urinariam reperimus repletam. Valde arridet haec ſententia, cui et recentiorum multi favent. Huc accedit, quod non rite de eo, quod Aſclepiades ipſe dixerit, indicare poſſumus, cum Galenus potius de eius ſectatoribus verba faciat.

De ceteris ſecretionibus idem ſibi perſuaſum habuiſſe Aſclepiadem, vero ſimile eſt. Nam Galenus enarrat, credidiſſe eum, bilem in ipſis bilis conceptaculis gigni, non autem ſecerni, nec ſecus

n) Galen. natural. facult. l. c. *βόλεται γὰρ εἰς ἀτμὸς ἀναλυόμενον τὸ πινόμενον ὑγρὸν εἰς τὴν κύστιν διαδίδοσθαι. κἄπειτ' ἐξ ἐκείνων αὖθις ἀλλήλοις συνιόντων ἀπολαμβάνειν οὕτως αὐτὸ τὴν ἀρχαίαν ἰδέαν, καὶ γίνεσθαι πάλιν ὑγρὸν ἐξ ἀτμῶν ἀτεχνῶς, ὡς περὶ σπογγιᾶς τινὸς, ἢ ἐρίου περὶ τῆς κύστεως διανοούμενος.*

o) Hiſt. de Medec. II, 3, 8.

ſecus nugatum eſſe de atra bile et ſplene. *p*) Ex his, quae de urinae ſeceſſione habemus comperta colligo, haud dubie finxiſſe ſibi Aſclepiadem, eadem ratione ex nutrimentis in ventriculo digeſtis, particulas quae conſtituunt aut flavam, aut atram bilem, ferri aut ad hepar aut ſplen, ibi colligi, atque coacervare ac cogere utramque bilem. *q*)

DE SEMINE.

§. 51. *Semen* ſecundum Aſclepiadis ſententiam eſt genitivus humor, qui in venereis congreſſibus excernitur, *r*) ortumque debetur iisdem

p) Galen. de natur. facult. l. c. p. 92. cf. §. 52. not. *s*.

q) Notum eſt, Galenum ſtatuiſſe ad perficiendas corporis functiones vires quasdam perpetuo vigentes, alterantes, excernentes, attrahentes atque retinentes. Aſclepiades, principiis doctrinae, cui nomen dederat, nixus nil eiusmodi edicere potuit, privavitque iis matricem, renes, ſplen, ventriculum, hepar, aliasque corporis partes. (Galen. de natur. facult. III. p. 114. T. I.) Juvat hic memorare, Aſclepiadem in his diſceſſiſſe ab Epicuro, qui hasce vires ſecundum doctrinae ſuae principia probare tentaret. Multis id demonſtrare ſtudet Galenus (de natural. facult. I. p. 93. T. I.), exemplo deſumto a magnete et ferro. Addit deinde: *καὶ ὅτωγε καὶ κατὰ τὰ σώματα τῶν ζώων φησὶ γίνεσθαι τάς τ' ἀναδόσεις καὶ τὰς διακρίσεις τῶν περιττωμάτων, καὶ τὰς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων ἐνεργείας. Ἀσκληπιάδης δὲ τό, τε τῆς εἰρημένης αἰτίας ἀπίθανον ὑπειδόμενος, καὶ μὴ δὲ μίαν ἄλλην ἰσχὺν ἐφ' οἷς ὑπέθετο στοιχείοις ἐξευρίσκων πιθανήν, ἐπὶ τὸ μηδ' ὅλως ἕλκεσθαι λέγειν ὑπὸ μηδενὸς μηδὲν ἀναισχυντήσας ἐτράπετο.*

r) Galen. definit. medic. T. IV. p. 401. *τὸ ἐν ταῖς ἀφροδισίοις συνουσίαις ἐκκρινόμενον γεννητικὸν ὑγρόν.*

iisdem corpusculis, ex quibus totum corpus humanum compositum est. Generatur ex cibis digestis eodem modo, quo fiunt omnes sic dicti humores secreti, urina, bilis, atra bilis, mucus. *s*)

DE SOMNO.

§. 52. Somnum explicat Asclepiades ex materia illa tenuissima, quam λεπτομερὲς appellavit, haud dubie propterea, quod experientia erat edoctus, in somno cessare sensus, quorum vis sita est in materia illa, in somno fessum ac lassum esse corpus, quod fit ex materia laboribus aliisque causis diminuta. (§. 39. §. 48. not. f.) *t*)

NEGAT

s) Locus classicus hac de re legitur apud Octav. Horatian. lib. IV, p. 105. (edit. Argent. 1532.) „Asclepiades autem consentiens, ait essentiam, atque seminis universalis hominum vel animalium, item principalis corpusculi intellectu sensam: subiectam autem sibi passibilitatis cruditatem, hoc est, novum cibum acceptum, sive nova subinde nutrimenta. Vult enim ex crudis fieri reddibitiones, ut accepti cibi disiecta materies in corpusculis minutata seu cocta, et in lacteum humorem mutata, omnes per corporis partes, ac particulas discurrat: atque ita in nares veniens, mucilentum faciat liquorem, in vesicula iecoris. Fel non aliter etiam in seminales vias cadens ea cum naturali virtute sive fabricatione semen fieri, ut beatissimus Hippocrates affirmat„ Haud dubie punctum, quod intra verba *iecoris* et *Fel* advertitur, ponendum est post *Fel*, ut ita evadat locus: *in vesicula iecoris fel. Non aliter* etc.

t) Cael. Aurel. l. c. p. 45. „Somnum enim fieri spiritus sensibilis crassificatione asseverat„ Quid sit intelligendum

sub

NEGAT VIM NATVRAE EX TENDINVM STRVCTVRA.

§. 53. Praecipuam doctrinae Asclepiadeae partem positam esse in eo, quod nullas in tota rerum natura statueret vires, quibus res aut essent effectae, aut formatae, ex pluribus iam, quae hucusque enarravimus, compertum habemus. Hinc non potuit non omnem quoque naturae vim tollere, qua partes corporis animati ad functiones certas subeundas essent designatae, et ad hunc finem efformatae. (§. 45.)

Comprobatur haec sententia ex eo, quod edicit Asclepiades de tendinum structura. Etenim negat, a provida ac sapiente natura eos esse formates vel crassiores vel graciliores, quo rite perfungi possent munere designato, ut potius eorum gracilitas vel crassities penderet a varia vi, qua exercerentur. *u*)

DE

sub hacce crassificatione optime elucet ex versibus illis Lucretii, quos hunc ad finem recudendos curavimus §. 59.

u) Galen. de Us. part. I, p. 378. T. I. δοκεῖ δὴ τούτοις τοῖς ἀνδράσιν, (Asclepiadis et Epicuri sectatoribus) οὐθ' ὅτι παχεῖς οἱ τένοντες ἐγένοντο, διὰ τοῦτο καὶ τὰς ἐνεργείας εἶναι αὐτῶν σφοδρὰς, οὐθ' ὅτι λεπτοὶ, διὰ τοῦτο ἀσθενεῖς, ἀλλὰ ταύτας μὲν ὑπὸ τῶν κατὰ τὸν βίον χρειῶν ἀναγκάζεσθαι τοίας ἢ τοίας γίγνεσθαι, τοὺς δ' ὄγκους τῶν τενόντων, τῷ ποσῷ τῆς κινήσεως ἕπεσθαι. τῶν μὲν γυμναζομένων, ὡς τὸ εἰκὸς, εὐεκτούντων τε καὶ παχυνομένων, τῶν δ' ἀργούντων, ἀτροφούντων τε καὶ κατισχνομένων οὔκουν ὅτι βέλτιον ἦν, τῶν μὲν σφοδρῶν ἐνεργειῶν, ἰσχυροὺς καὶ παχεῖς εἶναι τοὺς τένοντας, τῶν δ' ἀσθενεστέρων ἰσχνοὺς καὶ ἀῤῥώστους, οὕτω διαπλασθῆναι φασὶ πρὸς τῆς φύσεως (οὐ γὰρ ἂν καὶ πιθή-

κοις

DE STRVCTVRA VASORVM, QVAE A CORDE AD PVLMONES TENDVNT.

§. 54. Ex Galeni v) scriptis notum est, veteres statuisse, in sinum cordis dextrum, venas tantum, in sinum vero sinistrum arterias tantum inseri. Invenerunt tamen, venam illam ex ventriculo dextro ad pulmones progredientem, quam nos vocamus arteriam pulmonalem, magis exaequare arterias, ita tamen, ut ipsa sit gracilior, quam ceterae arteriae in toto corpore, arterias vero illas ex pulmonibus ad ventriculum sinistrum tendentes, quae nobis sunt venae pulmonales, magis venosae esse naturae, ita tamen, ut ipsae crassiores sint, quam ceterae venae, quae per totum corpus meant. Galenus, qui illas nuncupat φλέβας ἀρτηριώδεις, has vero ἀρτηρίας φλεβώδεις, in hac quoque vasorum diversitate sapientem admiratur naturam. Asclepiades vero ad motum, qui in pulmonibus est, confugit. Nimirum arteriae duplici motu moventur, quorum alter ipsis inest, alter pulmonibus: hinc ceteris corporis arteriis debiliores fiunt. Cum vero venae totius corporis sine omni sint motu, illae in pulmonibus moventur, atque inde crassiores fiunt. Ipsis Asclepiadis verbis id innuere videtur Galenus: x)

Διότι

[illegible]

v) Galen. de Us. part. VI. p. 455. T. I.

x) Galen. de Us. part. VI. p. 475. T. I.

Διότι γὰρ φησὶν ἐν τῷ πνεύμονι μόνῳ τῶν ἁπάντων ὀργάνων, αἱ μὲν ἀρτηρίαι διπλῆν κινοῦνται κίνησιν, ἥντ' οἴκοθεν ἔχουσιν ἐκ τῆς σφετέρας αὐτῶν οὐσίας, σφύζουσαι δηλονότι, καὶ ἣν ἐκ τοῦ τῆς ἀναπνοῆς ἔργου σειομένου διὰ παντὸς τοῦ πνεύμονος ἐπικτῶνται, ἐπειθ' ὑπερπονοῦσαι, καταλεπτύνονται τῶν ἐν τοῖς ἄλλοις μορίοις ἀρτηριῶν αὐτάρκως κινουμένων τὴν οἰκείαν κίνησιν οὖσαν μίαν, καὶ διὰ τοῦτ' εὐτραφῶντε καὶ ἰσχυρῶν γινομένων. αἱ δ' αὖ φλέβες φησὶν, αἱ μὲν καθ' ὅλον τὸ ζῶον ἀκίνητοι μένουσαι, δίκην ἀνδραπόδου τινὸς ἀργοῦ καὶ ἀγυμνάστου, δικαίως ἀτροφοῦσιν. αἱ δὲ κατὰ τὸν πνεύμονα τὴν τοῦ σπλάγχνου κίνησιν ἐπικρατησάμεναι, παχύνονται παραπλησίως τοῖς μέτρια γυμναζομένοις.

COGITATA QVAEDAM CIRCA FOETVM.

§. 55. Lis fuit inter philoſophos et medicos, an foetus in matrice degens, ſit animal, aut non animal, potiusque cum plantarum vegetatione comparandus? y) Aſclepiades dicit, eum neque animal, neque animal non eſſe, ſed ſimilem dormientibus: nam ut hi ſenſibus laetantur, neque iis utuntur, ſic id quoque, quod in utero fertur. z)

Quanto tempore foetus in utero formetur, pronunciat Aſclepiades, in maſculis, quod calidiſſimi ſint, vigeſimo ſexto die membra diſtingui, quinquageſimo perfecta reddi, quosdam tamen etiam

y) Galen. hiſt. phil. p. 436. T. IV.

z) Galen. defin med. p. 402. T. IV. Ἀσκληπιάδης δὲ οὔτε ζῶον οὔτε μὴ ζῶον εἶπεν τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ὅμοιον ἔφησεν αὐτὸ τοῖς κοιμωμένοις. ὅνπερ γὰρ τρόπον ἐκεῖνοι ἔχουσι τὰς αἰσθήσεις, οὐ χρῶνται δὲ αὐταῖς, οὕτωσὶ καὶ τὸ κατὰ γαστρὸς.

etiam intra hoc temporis ſpatium formari: foeminas autem intra duos menſes incipere, quarto compleri, frigidiores cum ſint: alia autem animantia ex elementorum facili congreſſu pariter tota et inchoari et abſolvi. *a*)

De geminis et trigeminis Galenus refert, eorum conceptionem adſcripſiſſe Aſclepiadem ſeminis naturae: etenim ut hordeum reperitur, quod duorum et trium ordinum ſpicas gignit, ita fertiliſſimum ſemen extat, quod duos pluresve foetus procreat. *b*)

VVLGAREM DE CAVSA SENECTVTIS SENTENTIAM REFVTAT.

§. 56. Enarrat Galenus, Stoicos ac medicos pariter omnes in eo conveniſſe, ſenectam inopia caloris advenire, ac, qui plus habeant caloris, tardius ſenescere. Aſclepiades vero contra hos arbitratur, Aethiopes celerius in ſenium devenire, ſexageſimo ſiquidem aetatis anno, quoniam eorum corpora nimis ſolis igne exuruntur: Brittannos contra anno centeſimo, et quod excurrit, diem obire: etenim frigidam incolant regionem. Aethiopes, quos iugiter ſol relaxat, laxum,

a) Galen. Hiſt. phil. p. 437. T. IV. Ἀσκληπιάδης δὲ ἐπὶ μὲν τῶν ἀῤῥένων, διὰ τὸ θερμότερον εἶναι τὴν κρᾶσιν τὴν διάρθρωσιν γίγνεσθαι ἀπὸ ἕκτης καὶ εἰκοστῆς, τὴν ὕστερον δὲ ἀπὸ τῆς τεσσαρακοστῆς· τῶν δὲ θηλειῶν ἐν δ΄ μησὶ γίνεσθαι τὴν διάρθρωσιν διὰ τὸ ἐνδεὲς τοῦ θερμοῦ.

b) Galen. hiſt. phil. p. 436. T. IV. Ἀσκληπιάδης περὶ τὴν τῶν σπερμάτων διχοτομίαν, ὥσπερ τὰς κριθὰς τὰς διστίχους καὶ τριστίχους.

laxum, Brittannos vero, ſpiſſum habere corpus, atque ideo longiorem vivere vitam. *c*)

COROLLARIA.

§. 57. 1. Refert Sextus Empiricus, Aſclepiadem de ſenibus ac iuvenibus indicantem edixiſſe: hos longe vincere illos intelligentia et ingenii ſolertia, quum ſenes iuvenibus maiorem habeant experientiam. *d*) Haud dubie Aſclepiades his verbis nil aliud manifeſtare voluit, niſi, aetatem nullam veri ſalſique regulam eſſe.

2. Quod supereſt, hic ſubiungamus Aſclepiadis de transvoratione, appetitu, ſiti, et excrementis, ſententiam, quam ſic depingit Caelius: *e*)

„Trans-

c) Galen. hiſt. phil. p. 428. Ἀσκληπιάδης δὲ φησὶ τȣ̀ς Αἰθίοπας λ΄. ἔτει γηρᾷν καὶ διὰ τὸ ψύχεσθαι τὰ σώματα ὑπὸ τȣ̃ ἡλίȣ διαφλεγομένȣς. τȣς δὲ ἐν τῇ Βρετανίᾳ, ρ΄. κ΄. ἐτῶν γηρᾷν. διὰ τὸ σέλλειν ἐν αὐτοῖς τὸ πυρῶδες· τὰ μὲν γὰρ τῶν Αἰθιόπων σώματα ἀραιότερα, διὰ τὸ κεχαλᾶσθαι ὑπὸ τȣ̃ ἡλίȣ· τὰ δὲ ὑπὸ τὸν αρκτον πεπυκνῶσθαι καὶ διὰ τȣ̃το πολυχρόνια.

d) Sext. Emp. adv. Logic. I. ſ. 323. p. 455. ἔνιοι μὲν γὰρ, ὧν ἐστι καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ ἰατρος διαῤῥήδην ἔλεξαν πολλῷ λείπεσθαι τῆς περὶ τȣ̀ς νέȣς συνέσεως καὶ ἀγχινοίας τȣ̀ς πρεσβύτας, παρὰ δὲ τὴν τῶν πολλῶν καὶ ἰδιωτῶν ψευδοδοξίαν, ἐναντίως ἔχειν ὑπελήφθη τὸ πρᾶγμα. διὰ γὰρ τὸ πολύπειρον τῶν πρεσβυτῶν ἔδοξαν οἱ νεώτεροι λείπεσθαι κατὰ σύνεσιν, τȣ̃ πράγματος ἐναντίως ἔχοντος. πολυπειρότεροι μὲν γὰρ, ὡς ἔφην, εἰσιν οἱ γεγηρακότες, ȣ̓ συνετώτεροι δὲ παρὰ τȣ̀ς νέȣς.

e) Cael. Aurel. l. c. p. 44.

„Transvorationis primam partem dicit extentione fieri faucium; secundam viarum tenuitate, quae ad ventrem ducunt. Item ὄρεξιν, quam nos appetentiam dicere poterimus, eam, quae cibum appetit, viarum maiore *f*) perfectione fieri dicit in stomacho atque ventre. Eam autem, quae potum appetit, parvarum viarum causa fieri dicit. Praeterea excrementa ventris (Graeci σκύβαλα dicunt) negat aliena esse natura. Siquidem etiam ex ipsis corpora augeantur. Quaedam denique, inquit, animalia ex ipsis solummodo se nutriunt.„

f) Haud dubie pro *viarum maiore perfectione* legendum est *viarum minorum* etc. cum paulo post sitim explicet *causa viarum minorum*. *Perfectione* i. e. magnitudine ac patefactione, ut monet Amman. in margine ad hunc locum.

Cap. VII.

Generalia quaedam Pathologica et Therapeutica.

§. 58.

MORBI NOTIO.

Notione, quam ſibi efformavit Aſclepiades de corporum primordiis, de ſtructura ac fabrica corporis ſani, rite expenſa, nunc difficile non erit, notionem eius de ſtatu morboſo eruere. Scimus iam, ſtatuiſſe eum materiem inalterabilem, quae nullam aliam ſubire poſſet mutationem citra eam ex vario corpuſculorum connexu proficiscentem. Hinc et materies ipſa nullum in ſe ſuſcipere poteſt ſtatum morboſum, ſed efficit tantum morbum pro varia particularum elementarium compoſitione praeternaturali. g) (§. 46.) Scimus etiam, Aſclepiadem probaſſe in corpore animali meatus, per quos prout magnitudine et forma diverſos diverſa ducerentur corpuſcula manantia. Si ergo ratio, quae inter cor-

g) Galen. de differ. morbor. T. III. p. 109. Introd. p. 375. T. IV. εἰ δὲ τὰ στερεὰ σώματα, τὰ ἀρχικὰ, καὶ στοιχειώδη ὑποθέμενοι, τάτε φύσει συνεστῶτα, ἐκ τούτων, καὶ τῶν νόσων τὰς αἰτίας ἐντεῦθεν λαμβάνουσιν, ὡς Ερασίστρατος καὶ Ασκληπιάδης.

corpuſcula illa manantia et meatus intercedit, tollitur, morbus adeſt. (§. 44. not. q.)

DE DIFFERENTIA MORBORVM.

§. 59. Quibus propoſitis, facile nunc perſpicere poſſumus, quamnam ſibi efformaverit notionem Aſclepiades de differentia morborum. Differunt enim morbi, prout aut corpuſcula manantia, aut meatus cauſam morbi in ſe ſuſcipiunt. Afficiunt corpuſcula manantia *ſtatione h)* (*ſtaſi obtruſione*). Stant vero, i. e. eorum fluxus aequalis intercipitur 1) ob magnitudinem, 2) ſchema, 3) multitudinem, et 4) motum celerrimum. Meatus vero peccant aut 1) ob nimiam amplitudinem, aut 2) ob raritatem. Ex ſupra vero traditis ſcimus, Aſclepiadem iuxta corpuſcula manantia et meatus ſtatuiſſe etiam materiam quandam tenuem, (ſpiritum, λεπτομερές), cui tertium ſuperſtruxit genus morborum. *i)*

DE CAVSA MORBI.

§. 60. Quod ad morborum cauſas attinet, putat Aſclepiades, humores nunquam continen- tes

F 4

h) Bene hanc vocem explicat Caſſius Iel. probl. 76. ἔνστασις ἐστιν ὄγκος ... [illegible] ... ἀρχαίων ... [illegible]

i) Cael. Aurel. ac. morb. I, 14. p. 42. „ſit autem eorum ſtatio aut magnitudinis, aut ſchematis, aut multitudinis, aut celerrimi motus cauſa, aut viarum flexu, concluſione, (atque ſquamularum exputo) Varias inquit fieri paſſiones, locorum aut viarum differentiis, et non omnes ſtatione corpuſculorum, ſed certas — ſolubiles vero liquidorum atque ſpiritus turbatione. Gal. Introd. p. 382. T. IV.

tes morborum caufas conftituere, fed occafionales tantum. Hinc etiam autumat, plenitudine plerasque quidem adiuvari paffiones, nunquam vero procreari. *k*) Superfunt adhuc ipfa Afclepiadis verba, quae hac de re protulit, apud Galenum. *l*) Putat nimirum Afclepiades fi continens morborum caufa effet plenitudo, factis nonnunquam largis inter morbi initia evacuationibus, fore, ut nocumentum ftatim a fe omne aeger depellat: nunc contra vifi faepius funt, purgata plenitudine, morbi tamen ipfi augeri: ὡς εἴπερ ἦν συνεκτικὸν αἴτιον τὸ πλῆθος τῶν παθῶν, ἐπὶ δαψιλέσι κενότησιν ἐνίοτε κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆν νόσȣ γενομέναις, εὐθὺς ἁπάντων ὀχληρῶν ὁ κάμνων ἀπαλλάττεται· νυνὶ δὲ φαίνεται πολλάκις αὐξανομένας τὰς νόσȣς ἤδη τȣ̃ πλήθȣς καθῃρημένȣ. Hinc dicit Galenus, Afclepiadem hisce in morbis inftituiffe evacuationem non, ut folveret morbum, fed, ut eius augmentum prohiberet. *m*)

DE PVLSV.

§. 61. Pulfum Afclepiades dicit effe diftentionem et contractionem cordis et arteriarum. *n*) Cor

k) Cael. Aurel. l. c. p. 44. „non effe activas atque operantes caufas aegritudinum in liquidis conftitutas, quas fynecticas vocant; fed effe antecedentes, quas Graeci procatarcticas appellant: item plenitudinem plerasque paffiones adiuvare dicit „

l) contra ea, quae a Julian. in Hipp. aphor. dicta funt. T. V. p. 341.

m) Galen. Comm. II. in Hipp. de natur. hom. p. 18. T. V.

n) Galen. de differ pulf lib. IV. p. 51. T. III. αὐτὸν μὲν γὰρ ὁ Ἀσκληπιάδης τὸν μὲν σφυγμὸν εἶναι συστολὴν καὶ διαστολὴν καρδίας τε καὶ ἀρτηριῶν.

Cor vero et arterias arbitratur diſtendi, cum ſpiritu implentur in ea influente per ſubtilem contextum, quo praedita intus ſunt: ubi iam in eorum os repletum nihil influat amplius, ibi recidere tunicam in priorem ſuum ſtatum illum naturalem. *o*) Cum omnes facultates viresque inſitas negaret, iam per ſe liquet, cauſam pulſus eiusque variarum ſpecierum prodere non potuiſſe vim quandam. Hinc Galenus monet, de cauſa vehementis pulſus agens, Aſclepiadem deriſiſſe et Herophilum et Athenaeum, qui edicerent cauſam vehementis pulſus, prior robur vitalis facultatis arteriarum, poſterior vim vitalis contentionis; cauſamque vehementiae ad copiam retuliſſe et ſubtilitatem ſpiritus. *p*) Quomodo ceteras pulſus ſpecies explicarit Aſclepiades, facile ex his concipere poſſumus. Quatenus ſectatores eius hac in re ab eo receſſerint, infra demonſtrabimus.

DE CRISI.

§. 62. Nullam fere totius diſciplinae noſtrae invenimus partem, de qua ab Hippocratis temporibus ad hodiernum usque diem in utramque partem magis diſputatum eſt, quam de criſi.

o) Galen. de differ. pulſ. lib. IV. p. 40 T. III. οἴεται γὰρ ὁ ἀνὴρ οὗτος καὶ τὴν καρδίαν καὶ τὰς ἀρτηρίας διαστέλλεσθαι πληρουμένας πνεύματι εἰσρέοντος αὐταῖς διὰ λεπτομερειαν, ἣν ἐν τοῖς ἑαυτῶν ἔχουσι, ὅταν δὲ πληρωθεῖσαι εἰς τὸ ἐμπροσθεν οὐκέτι ἐπιρρέῃ, καταπίπτειν αὖθις εἰς τὴν ἔμπροσθεν ὑπάρχουσαν ἑαυταῖς κατάστασιν φύσει τοῦ χιτῶνος. cf. idem. p. 44.

p) Gal. de diff. pulſ. lib. III. p. 55. τὴν δ' αἰτίαν τῆς σφοδρότητος εἰς πλῆθος καὶ λεπτότητα πνεύματος ἀνοίσει.

Iam antiquiſſimis temporibus fuerunt, qui de his obſervationibus Hippocraticis ambigerent: praecipueque Medici Romani hac in re Hippocrati fidem derogarunt. Inter praecipuos adverſarios enitent Aſclepiades noſter, et, qui eum ſecutus eſt, Celſus. *q*) Multas quidem hanc ob rem ſubiit Noſter obiurgationes, ſed ut opinor, immerito. Nimirum principiis ſuis addictus criticos dies minime in doctrina ſua adumbrare potuit. — Sed, quid negat Aſclepiades? — Galenus enarrat, neque quod nullae repentinae turbationes fiant aliquando circa corpus aegrotantis, docuiſſe Aſclepiadem, neque, quod ſaepius poſt ipſas effatu dignae excretiones non eveniant: neque, quod magna ex ipſis non ſit facta in aegrotantibus permutatio: neque quod huiuscemodi res non vocetur criſis: ſed quod, certante natura contra cauſas morbos facientes, iſta non fiant, hoc demonſtrare tentat: non parum quidem etiam hac in parte delirans, propter admirabiles tumores atque meatus, quos ipſe ſuppoſuit: quorum cauſa neque novit potentias illas, quibus animal gubernatur, neque, quod haec omnia ad ſalutem faciunt tam in ſanis, quam etiam in aegrotantibus: neque quod ipſae ſunt, quae morbos iudicant. *r*) Hicce locus claſſicus ſatis ſuperque demon-

q) Locus claſſicus quo Celſus contra criſin invehitur, eſt III, 4. unde evidenter elucet, hac in re prorſus ab Aſclepiadis eum ſtetiſſe partibus. Vid. Teſta de vitalib. period. To. I. lib. I. pars I. c. 2. §. 7. Foeſ. Oecon. Hippocr. ſ. v. *κρίσις.*

r) Galen. de criſib. lib. III. p. 418. T. III. *οὔτε γὰρ ὡς οὐ γίνονταί τινες ἐξ αἰφνίδιοι ταραχαὶ περὶ τὸ τοῦ κάμνοντος σῶμα, δύναιτ' ἂν εἰπεῖν Ἀσκληπιάδης, οὔθ' ὡς οὐκ ἀκολουθοῦσιν αὐταῖς ἐκκρί-*

demonſtrat, quid negarit, quid affirmarit Noſter. Notum eſt, Hippocratem, aliosque doctrinam de criſi vindicantes, eam explicaſſe per vires naturales, quas unusquisque principiis notionibusque ſuis de vi vitali adaptaret. Scimus vero, Aſclepiadem negaſſe naturam vim in corpus humanum prodentem, negaſſe vires facultatesque inſitas diverſas a materie. Hinc quoque non potuit non negare naturam medicatricem in ſtatu morboſo. Negavit igitur, non rem ipſam, ut bene monet Galenus, ſed *ſtatos dies, quos criſimos appellant. Etenim non certo, aut legitimo tempore aegritudines ſolvuntur.* s) Quibus principiis adaptavit etiam medendi rationem. Liquet igitur per ſe, ſtare non potuiſſe ab eorum ſententia, qua medicus eſt miniſter naturae, hincque credidit, medicum expectare non oportere criticos naturae effectus, ſed *opportunitatem temporis fieri magis ab artiſice poſſe quam ſua ſponte, aut Deorum nutu venire. Appellavit denique illam* (*opportunitatem*) *magnificam.* t) (μεγαλοπρεπῆ). Experientia forſitan ductus, qua notum eſt, ſaepius nimias naturae vires criſin perturbare, hincque morbum peiorem reddere,

ἀκρίσεις ἀξιόλογοι πολλάκις, οὐθ' ὡς οὐκ ἐγένετο μεγάλη μεταβολὴ τοῖς κάμνουσιν ἐπ' αὐταῖς, οὐθ' ὡς οὐ καλεῖται τὸ τοιοῦτον κρίσις. ἀλλ' ὅτι διαγωνιζομένης τῆς φύσεως τοῖς νοσεροῖς αἰτίοις οὐ γίνεται ταῦτα, τοῦτο πειρᾶται δεικνύναι, ληρῶν μὲν κἀν τούτοις μακρά, καὶ διὰ τοὺς θαυμαστοὺς ὄγκους καὶ πόρους οὓς ὑπέθετο, δι' ἃς ἅτε τῆς διοικούσης δυνάμεως ἕνεκα τοῦ ζῆν, οὐθ' ὡς ἐπὶ σωτηρίᾳ πάντα ποιοῦσιν αἵδε, καὶ ὑγιαίνομέν τε καὶ νοσοῦμεν, οὐθ' ὡς αὗται κρίνουσι τὰς νόσους.

s) Cael. Aurel. l. c. p. 45.

t) Cael. Aurel. l. c.

re, edixit etiam, naturam non solum prodesse, sed etiam nocere. *u*)

DE MORBORVM SIGNIS.

§. 63. Caelius Aurelianus *v*) refert, Asclepiadis sectatores statuisse secundum eius sententiam *signorum quaedam necessaria, ut cordis vulneratio, mortis signum: quaedam non necessaria, sed frequenter futura significantia, sicut membranae capitis vulneratio moriturum vulneratum significat, frequenter enim hoc, non iugiter ac necessario contingit.*

DE MEDICAMENTORVM VI.

§. 64. Quod attinet ad medicamentorum vim, quam in corpus humanam exserunt, nonnulla iam ex iis, quae supra leguntur, ratiocinari licet. Vidimus ibi, Asclepiadem nullas proprias statuisse rerum facultates. Ex his igitur iam per se liquet, medicamenta secundum eum agere non potuisse facultatibus quibusdam propriis. Vidimus porro exposuisse illum materiam inalterabilem. Patet igitur, secundum eius doctrinam remedia nullam subire potuisse mutationem sic dictam chemicam. Vidimus vero, statuisse eum rerum elementa corpuscula et meatus, posuisse sanitatem in iusta corpusculorum et meatuum ratione, statum morbosum in ratione eorum depravata. Jure meritoque igitur

u) Cael Aurel. l. c. Cels. III, 4.

v) morb. acut. I, 1. p. 10.

tur colligere licet, medicamentorum vires retulisse eo, ut restituerent rationem illam depravatam. x)

MEDICAMENTORVM VSVM COERCET.

§. 65. Notum est ex medicinae historia, empiricos illius temporis totos fuisse in medicamentorum farragine colligenda et augenda, atque his auctoribus permagnum iam innotuisse medicaminum copiam. Hinc Cels. in prooem. ad libr. V. de re med. sic verba facit: „*His multum antiqui auctores tribuerunt, et Erasistratus et hi, qui se Empiricos nominaverunt, praecipue tamen Herophilus, deductique ab illo viri, adeo ut nullum morbi genus sine his curarent.*„ Pergit Celsus: „*Horum tamen usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit: et cum omnia fere medicamenta stomachum laedant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem curam suam transtulit.*„ y) Ducti hisce, quae cum maxime protuli, fuerunt multi, qui contenderent, novaturiendi studio abreptum Asclepiadem plane omnium damnasse medicamentorum

x) Gal. de simpl. medic. facult. lib. I. p. 5. T. II. Enarrat Galenus alios vim, qua medicamina agant, statuere innotam, alios notam, vel hos ipsos inter se ambigere, alios ad vim calidam, frigidam, humidam atque siccam relegere, alios vero ad corpuscula atque meatus. (τοὺς ὄγκους τε τὰ μεγέθη καὶ τὰ σχήματα καὶ τὰς θέσεις τῶν ὄγκων τε καὶ πόρων αἰτιῶνται). Asclepiadem eiusque sectatores innuere Galenum, in aprico est.

y) Plin. H. N. XXVI. 3.

torum ufum. z) Sed audiamus, quid iam hac de re dixerit Scribon. Larg. a) Ibi fic loquitur: „*Afclepiades febricitantibus, vitiisque praecipitibus correptis, quae* ὀξῆ πάθη *Graeci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte dato interdum remediari tutum eos exiftimabat: caeterum libro, qui* παρασκευαςικῶν *i. e. praeparationum infcribitur, contendit ultimae fortis effe medicum, qui non ad fingula quaeque vitia, binas ternasve compofitiones, et expertas protinus paratas habeat.*

DE EMESI.

§. 66. Mos fuit apud Romanos tunc temporis luxuria atque libidine diffluentes, ut ftatim poft coenam cibos vomitu eiicere molirentur, quo maiorem denuo ingerere poffent alimentorum copiam b). Merito igitur damnavit, vomitiones, tunc fupra modum frequentes c). Veruntamen non ubique et penitus emefin reiiciebat,

z) Haud dubie multi decepti funt fignificatione, quae latet in verbo Φαρμακον et *medicamentum*. Scriptores enim Graeci et Latini utuntur faepius hoc verbo pro medicamento purgante. Vid. Foef. Oec Hipp. f. v. Notum vero eft, Afclepiadem prae ceteris reprobaffe purgationum ufum (§. 67) vid. Le Clerc Hift. de Med. II, 3, 7.

a) in epift ad Callift.

b) de hac vomendi confuetudine vid. Cafaub. ad Suet. Vitell. 13. Rader. ad Mart. lib. V. epigr. 75. Erneft. Clav. Cic. Ind. Gr. f. v. ἐμέτικη. De medicamentis, quibus utebantur hunc ad finem veteres, vid. Hebenftreit. Palaeol. Therap. p. 588.

c) Plin. H. N. XXVI, 3. Celf. I, 3.

ciebat, id quod videre licebit infra in ſingulorum morborum deſcriptione: ſed evitabat eam, ſi poterat, ne ventriculus inde quid detrimenti caperet. Celſus ipſe dicit d) de emeſi et purgatione loquens: „*ille quoque ipſe, ſi quid iam corruptum eſſet expelli debere confeſſus eſt.*„

DE MEDICAMINIBVS ALVVM PVRGANTIBVS.

§. 67. Inprimis offenſus eſt Aſclepiades eorum more, qui purgationum uſum in deliciis habebant, easque maiori cum prudentia in morbis adhibendas multis probavit. Conſtat inter omnes, qui vel primoribus tantum labris veterum medicorum doctrinam delibarunt, ſtatuiſſe medicos illos Hippocratica doctrina ductos quatuor in corpore humano humores: nimirum: phlegma ſive pituitam, flavam bilem, atram bilem et aquam. Cui de humoribus doctrinae ſuperſtruxerunt vim, quam proderent medicamenta purgantia in animantium corpora. Hinc in diſciplinam ingeſſerunt remedia, quae pellerent aquam, (ὑδραγωγα), alia quae bilem flavam (χολαγωγα) alia quae atram bilem (μελαναγωγα) alia, quae pituitam (φλεγμαγωγα). Ad explicandam vero rationem, qua purgationes variae varia ducerent humorum genera uſi ſunt vi attractrice variis medicinis varia inſita. — — Scimus autem ex iis, quae ſupra de corporum facultatibus inſitis ſecundum Noſtri ſententiam commentati ſumus, minime eum adſtipulatum eſſe illis, qui proprias illas ſtatuerent. Quid mirum igitur, negaſſe etiam iisdem argumentis ductum purga-

d) Celſ. l. l.

purgationum vim ſingularem qua ſingulae ſingulos e corpore depellerent humores. Quibus expoſitis opinatus eſt, medicinarum cathartica-rum vim minime ſtatui poſſe, quod quaeque proprium ſibi trahent humorem ut potius omnium earum vis poni debeat in ſola evacuatione. Galenus ipſe protulit rationem, qua fretus Aſclepiades vim medicamentorum purgantium adumbraret ſola evacuatione. Nimirum cum Aſclepiades illis tumoribus meatibusque ac incompactis elementis adiutus proferre debeat nullam qualitatem naturae alienam nobis ineſſe adeo ut ne excrementa quidem quae quotidie per alvum evacuantur ſint mutata: evidens eſt, cum alvus ſupprimitur, nos ratione multitudinis laedi, illique remedio eſſe, vel parce veſci, vel omnino a cibo ſe continere. *e*) Aliam rationem Le Clerc *f*) putat poſſe deprehendi in eo, quod Aſclepiades contenderit, nunquam plenitudinem efficere cauſam morborum proximam. (§. 60.) Ex his igitur liquere videtur, Aſclepiadem opinatum eſſe, nos non laedi acrimonia atque corruptione rerum, quae in inteſtinis latent, ſed ſola earum multitudine. — Sed ſi paulo ulterius progrediamur in perlegendis iis Galeni locis, ubi hac de re differit, reperimus,

e) Galen. de Element. lib. II. p. 58. T. I. ἀλλὰ ταῦτα λέγειν ἀναγκάζουσιν Ἀσκληπιάδην οἱ ὄγκοι καὶ πόροι καὶ τὰ ἄναρμα στοιχεῖα. τούτοις γὰρ ἕπεται τὸ, μηδεμίαν εἶναι τῆς φύσεως ἡμῶν ἀλλοτρίαν ποιότητα, μηδὲ τὴν τῶν ὁσημέραι διὰ τῆς γαστρὸς ἡμῶν ἐκκενουμένων περιττωμάτων. ἀλλ' ὅταν ἐπισχεθῇ γαστὴρ, τῷ λόγῳ τοῦ πλήθους ἡμᾶς βλάπτεσθαι, καὶ εἶναι τὴν ἴασιν ὀλιγοσιτίαν ἢ ἀσιτίαν παντελῆ.

f) Le Clerc. Hiſt. de Med. II, 3, 7.

mus, Afclepiadem putaffe, non folum nullam purgationibus infitam effe vim eductivam fingularem fingulorum humorum, fed potius hos illis procreari. Galenus hac de re peculiarem confcripfit librum de purgant. medicament. facultat., ibique fecundum fectatorum Afclepiadis praecepta loquitur, medicamentum omne, cui purgandi vis infit, quemcunque attigerit humorem in fuam naturam convertere, atque transmutare. Nam flavam nigramve bilem facit id, quod bilis eft huius vel huius, ut ipfi appellant, eductivum: fimiliter pituitam, aquofamque fubftantiam, quod vel pituitae vel aquae eductivum iftorum vocabulo nuncupatur. Poftremo, commutatio eft omnium, qui in venis funt, humorum, non unius alicuius evacuatio, illa, quae purgatio appellatur, ut ipforum oratio indicat. g) Quam fententiam, ut opinor, haud dubie protulit Afclepiades adverfariorum ductus obiectionibus. Nimirum obiiciebant illi, infirmis niti fulcris hancce fententiam, quoniam, fi purgantium medicamentorum vis fita effet fola in evacuatione, idem fpectari deberet in morborum curatione effectus, fieret evacuatio humorum per purgationes an per venae fectionem

f) Galen. de vi medic. purg. p. [illegible] T. II. τὸ καθαῖρον φάρμακον ὅπερ ἂν ἑλκύσῃ χυμόν, τοῦτο εἰς τὴν ἰδίαν ἰδέαν ἀλλοιοῖ. χολὴν μὲν ξανθὴν ἐργαζόμενον, ὅπερ [illegible] χολαγωγὸν ὥσπερ καὶ φλέγμα, ὃ καλεῖ φλεγμαγωγόν. ὑδατώδη δέ τινα φύσιν ἀποτελεῖ, ὃ καὶ [illegible], [illegible] μέλαιναν χολὴν ἀποφαῖνον, ὅπερ ἂν ἅψηται χυμοῦ. [illegible] φάρμακα μεταβολὴ καὶ ἀλλοίωσις ἐστι τῶν ἐν ταῖς φλεψὶ [illegible] ἁπάντων, οὐ κένωσις ἑνὸς ἐξ αὐτῶν ἡ προσαγορευομένη κάθαρσις. Cf. id. de Elem. l. c. ubi eadem de Afclepiade enarrat.

tionem. Ut vero hanc evitaret obiectionem, edixit venae ſectione humores indifferenter omnes exire, data potione non omnes, ſed quosdam eximi, ſanguinemque purum reddi. *h*)

DE CLYSMATIBVS.

§. 68. Ampliſſimus eſt clysmatum uſus in artis exercitio, et cum ſermo ſit, quatenus, ac qua ratione uſus ſit iis Aſclepiades ut generalem, quam ſecutus eſt, normam aſſumere poſſumus verba, quae Celſus i) facit: „*plerumque vero alvus potius ducenda eſt, quod ab Aſclepiade quoque ſic temperatum, ut tamen ſervatum ſit, video plerumque ſeculo noſtro praeteriri.*„ Idem: k) „*Aſclepiades medicamenta ſuſtulit, alvum non toties, ſed fere tamen in omni morbo ſubduxit.*„ *Eſt autem ea moderatio, quam is ſecutus videtur, aptiſſima: ut neque ſaepe ea medicina tentetur, et tamen ſemel ſumtum vel bis, non omittatur.*„

In

h) Galen. de vi medic. purg. p. 485. *φλεβοτομίαν μὲν ὁμοτίμως ἐκκενοῦν ἅπαντας τοὺς ἐν ταῖς φλεψὶ νομίζοντες χυμοὺς, τὴν κάθαρσιν δ' οὐχ ὁμοτίμως, ἀλλ' ἕνα μέν τινα καὶ μόνον ἐκεῖνον, ὅπερ ἂν ἀγωγὸν εἶναι λέγεται. διὸ καὶ καθαίρεσθαι φασὶ τὸ αἷμα ὑπὸ τῶν τοιούτων φαρμάκων, οὐ κενοῦσθαι καθάπερ ἐν ταῖς φλεβοτομίαις.* — Tota de hac re legi quoque poſſunt Galen. de natur. facult. I, p. 92 93. T. I. de Theriac. ad Piſon. p. 458. 59. T. II. contr. ea, quae a Julian. in Hipp. aph. dict. ſ. p. 543. T. V.

i) II, 12.

k) III, 4.

In febribus vero praecipue alvum ducere profeſſum eſſe Aſclepiadem monet Celſus *l*). Nimirum putabat Aſclepiades, febres oriri ex obtruſione corpuſculorum in meatibus facta: alvum igitur in febribus ducebat, ut hancce obſtructionem ſolveret atque detraheret. Diſcimus hoc ex Caelio Aurel. *m*) ubi narrat, Aſclepiadem in phrenitide, affectione febrili, curanda, adhibuiſſe clyſteres, quo obtruſionem exantlaret atque detraheret: et hanc ob rem, in omnibus morbis, quibuscum febris coniuncta eſt, clyſmata in more habuit Aſclepiades, ut ex eodem Caelio patet, et infra, in recenſu morborum ſpecialium videbimus, niſi forſitan hisce in morbis alia res obſtaret, quae clyſterum adplicationem prohiberet, ut in peripneumonia et pleuritide. *n*)

Porro alvum ducendam eſſe putabat Aſclepiades, cum ſuſpicio adeſt, cruditatem in inteſtinis deliteſcere: quibus in caſibus clyſmata iniicienda ſuadebat, quo detraheret materias revulſionemque earum faceret. *o*) Quam ob rem etiam ad clyſmata confugit, ad lumbricos e corpore eliminandos, ut teſtatur Caelius *p*).

Quibusnam vero in caſibus noxius ſit clyſmatum uſus ſecundum Aſclepiadem, refert *q*)

G 2 his

l) III, 4.

m) morb. acut. I, 15. p.

n) Cael. Aur. morb. ac. II, 22. p. 131. II, [illegible]. p. 144.

o) Cael. Aur. morb. ac. II, 22. p. 131. II, 39. p. 174.

p) Cael. Aur. morb. chr. IV, 8. p. 535.

q) Cael. Aur. morb. ac. II, 39. p. 174.

his verbis: „*in omnibus ſine febribus paſſionibus inſidioſum atque vexabilem corporum eorum uſum iudicat: item ſpecialiter iudicat iniectionum vexatione augeri ſolutiones, atque iactationes, et ſitim vehementem: ſiquidem ſunt, inquit, virium captrices.*„ Veruntamen id, quod Caelius narrat de Aſclepiade, nimirum prohibuiſſe eum clysmatam uſum in morbis, quibuscum nulla ſit coniuncta febris, non ubique verum videtur. Nam ex eodem Caelio videre licet, eum alvum ducendam ſuaſiſſe in epilepſia *r*).

Sed longe quoque nobiliorem uſum exſpectabat Noſter e clysmatibus, ut teſtis eſt Caelius. Nimirum in morbis pertinacioribus, ut in tetano, acerrimos iniiciebat clyſteres, ut naturam medicantem imitaretur, atque ſalutarem excitaret febrem *s*).

Egregie de alvi ducendae ratione ſecundum Aſclepiadem egit Celſus, neminemque poenitebit, ipſa ſuaviſſimi illius ſcriptoris verba legere: *t*)

„*Si caput grave eſt: ſi oculi caligant: ſi morbus maioris inteſtini eſt, quod Graeci κῶλον nominant: ſi in imo ventre, aut in coxa dolores ſunt:*

r) Cael. Aur. morb. chr. I, 4. p. 321.

s) Cael. Aurel. morb. ac. III, 8, p. 215. Cf. Bianchini la med. d'Aſcl. diſc. II, §. VII.

t) Haec, verba Celſiana, niſi omnia, plurima tamen ad Aſclepiadem referenda, et procul dubio ſumta ſunt ex eius libro, quem ſcripſit de clyſteribus (vid. cap. III.), ut iam ſuſpicatus eſt *Bianchini* l. l.

sunt: si in stomachum quaedam biliosa concurrunt, vel etiam pituita eo se, humorve aliquis eoque similis confert: si spiritus difficilius redditur: si nihil per se venter excernit, utique si mixta quoque stercus est, et intus remanet: aut si stercoris odorem, nihil deiiciens, aeger ex spiritu suo sentit: aut si corruptum est, quod excernitur: aut si prima inedia febrem non sustulit: aut si sanguinem mitti, cum opus sit, vires non patiuntur, tempusve eius rei praeterit: aut si multum ante morbum aliquis potavit: aut si is, qui saepe vel sponte, vel casu purgatus est, subito habet alvum suppressum. Servanda vero illa sunt, ne ante diem tertium ducatur, ne ulla cruditate substante, ne in corpore infirmo, diuque in adversa valetudine exhausto, neve in eo, cui satis alvus reddit quotidie, quive eam liquidam habebit, ne in ipso accessionis impetu, quia quod tum infusum est, alvo continetur, regestumque in caput, multo gravius periculum efficit. Pridie vero abstinere debet aeger, ut aptus tali curationi sit. Eodem die ante aliquot horas aquam calidam bibere, ut superiores eius partes madescant, tum deiicienda alvus est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua: si paulo valentiori, mulsa: si leni, ex aqua, in qua fenum Graecum, vel ptisana, vel malva decocta sit. Si reprimendi causa, ex verbenis. Acris autem est marina aqua, vel alia sale adiecto, atque utraque decocta commodior est. Acrior fit adiecto vel oleo vel nitro, vel melle quoque. Si acrior est, eo plus extrahit, sed minus facile sustinetur. Id quod infunditur, neque frigidum esse oportet, neque calidum, ne alterutro modo laedat. Cum infusum est, quantum fieri potest, continere se in lectulo debet aeger,

ger, nec primae cupiditati deiectionis protinus cedere. Ubi necesse est, tum demum desidere. Fereque eo modo demta materia superioribus partibus levatis morbum ipsum tollit. Cum vero quoties res coegit, desidendo aliquis se exhausit, paulisper debet conquiescere, et ne vires deficiant, utique eo die cibum assumere: qui plenior an exiguus sit dandus, ex ratione eius accessionis, quae expectabitur, aut in metu non erit, aestimari oportebit.

DE PHLEBOTOMIA.

§. 69. Enarrat Galenus, Asclepiadem phlebotomia usum esse, quamvis contentionis adeo studiosus fuerit, ut omnia ferme medicorum placita lacessiverit, neque alicui prioris seculi homini, immo ne Hippocrati quidem pepercerit, hincque adeo medendi rationem veterum *mortis meditationem* (θανάτε μελέτην) nuncupare non sit veritus *u*). Ex his igitur compertum habemus, usurpasse quidem Asclepiadem venae sectionem, sed non promiscue eam adhibuit, quam potius certis limitibus doctrinae, quam docuit, aptis, circumscripsit. Nimirum sectione, quae in vena fit, evacuatur sanguis. Sanguinem vero secundum eum constituunt corpuscula maiora, ut iam superiori sermone demonstravimus. Hinc quoque in statu morboso tunc tantum sanguinis evacuatio per venam sectam locum habere potest, si corpuscula maiora (sanguis) sunt affecta: quae vero patiuntur in omnibus morbis, quibuscum

u) Galen. de Ven. sect. adv. Erasistr. p. 3. T. IV.

buscum dolores sunt coniuncti y). Quodsi tamen nihilominus mittatur sanguis in iis morbis, qui phlebotomiam non permittunt, sanguis tenuis atque subtilis exire videtur z).

Cum opinetur Asclepiades, nullas alias corporis molestias venae sectione posse demulceri, nisi quae oriantur e sanguine: adhibet quoque eam ad sanguinis cursum minuendum, atque spiratio-

y) Cael. Aurel. morb. acut. I, 15. p. 46.

z) Cael. Aurel. morb. acut. II, [illegible]. p. 1[illegible]5. — Obscura sunt, quae Asclepiades de vena in morbis dolore supertus secanda adumbravit, cum in unoquoque morbo aeger doloribus circumrodatur. Evidens igitur est, intellexisse eum peculiares quosdam ac certos dolores, qui, si affligerent corpus, venae sectionem requirerent: et, nisi me omnia fallunt, denotare voluit haud dubie Asclepiades *dolores inflammatorios.* Etenim Galenus (de meth. med. lib. XIII, p. 173 To. IV. [illegible] cap. VIII.) refert Asclepiadem aeque ac ceteros medicos explicare inflammationem ex sanguine praeternaturali ratione ad certam corporis partem affluente, ibi in vasis minimis stagnante, tumoremque formante. Ex locis vero illis, quos Caelianos [illegible] laudavimus, id nobis perspectum est, venae sectionem suasisse Asclepiadem in iis morbis, in quibus sanguis (corpuscula maiora) affectus est. — Hinc quoque patet, qua ratione ductus Asclepiades edicere potuerit, in illis morbis, ubi revera phlebotomia locum non habet, si nihilominus instituatur, sanguinem exire tenuem atque subtilem. Nam in statu inflammatorio sanguis est spissior et ad stagnationes proclivior — Neque id scrupulum nobis inicere potest, quod secundum Asclepiadem causa doloris lateat in corpusculis minutissimis (§ [illegible]8. not. f.) Nam nos quoque in doloribus inflammatoriis sanguinem emittimus, quamvis sedem doloris statuimus in nervis.

rationis difficultatem mittigendam y), ut ad plenitudinem, quae in venis adeſt plurima, evacuandam z).

Admonet etiam Aſclepiades in venae ſectione inſtituenda praecipue rationem eſſe habendam regionum, in quibus commorantur aegri: ſe obſervaſſe teſtatur, pleuriticis phlebotomiam Romae et Athenis nil emolumenti, quin detrimenti quid potius afferre, cum in Helleſponto et Parii vere inde recreantur *a*). Etſi valde hanc ob rem reprehenditur Noſter a Caelio, tamen haec obſervatio veriſſimis vindicari poteſt argumentis. Etenim ſcimus, quid valeant ad morborum decurſum mutandum coelum, vitae genus, victus ratio, aliaque id genus, quae medicus in morborum curatione reſpicere debet: ſcimus, urbes, quae numeraſa civium vi abundant, in quibus luxuria, libido, aliaque vitia vigent, procliviores reddere morbos ad ſtatum gaſtricum ac putridum.

Errat Le Clerc *b*) perhibens, nunquam phlebotomiam ſuaſiſſe Aſclepiadem in febribus. Utique id faciebat in iis febribus, in quibus ſecundum doctrinae ſuae principia ex ea emolumentum reduntaturum eſſe aegrotis opinabatur *c*). Tunc vero adhibenda eſt phlebotomia in ipſo febris

y) Cael. Aurel. morb. chr. II, 13. p. 416.

z) Cael. Aurel. morb. ac. III, 9. p. 216.

a) Cael. Aurel, morb. acut. II, 22. p. 131.

b) Le Clerc. Hiſt. de med. II, 3, 7.

c) Cael. Aurel, morb. ac. III, 4. p. 193. infra Cap. VIII.

febris vigore. Difficile enim, inquit, fieri poteſt detractio corpuſculorum tempore dimiſſionis *d*).

Venae ſectionem inſtituere ſolebat in diverſiſſimis corporis partibus; vel in pede *e*), vel in brachio, vel fronte, vel oculorum angulis, vel in venis, quae ſub lingua ſunt *f*).

Et cucurbitulis utebatur quas vero adhibendas tunc tantum ſuadebat, ſi nec febres prohiberent materiae detractionem, nec plenitudo adeſſet in venis, nec maior cauſſa eſſet, quae contrario raptu ſuperet cucurbitae fervorem, ut non poſſit efficere detractionem *g*). Nimirum in febribus diſſuadere cucurbitulas debebat, ob maiorem corpuſculorum obtruſionem, quam quae vinci poſſet cucurbitularum vi.

ARS GYMNASTICA.

§. 70. Varias corpus exercendi reficiendique rationes, quae in univerſum arti gymnaſticae adnumerari ſolent, Aſclepiades primus fuit medicorum Graecorum Romae artem profitentium

d) Cael. Aurel. morb. ac. III, 8. p. 216. Celſus (III, 18.) contrarium de Aſclepiade memorat, qui in remiſſione ſuaſerit phlebotomiam.

e) Cael. Aurel. morb. acut. I, 14. p. 44. „Huic ſane adiutorio *detractionem ſanguinis ex talo factam, ex eius ſvena interiore* ſimiliter mederi dicit.„

f) Cael. Aurel. morb. acut. III, 4. p. 193.

g) Cael. Aurel. morb. acut III. 8. p. 217. III, 4. p. 193.

tium, qui eas in morbis curandis utiles suaderet. Compertum habemus ex historia artis nostrae, iam ante Hippocratem fuisse quendam Herodicum, qui et ipse sibi ambulationibus sanitatem amissam restitueret, et ob rem bene successam, in universum artem gymnasticam redderet totius medicinae partem. Ex quo adhibita est a a medicis Graecis cum ad sanitatem conservandam, tum ad morbos profligandos, varioque modo de eius usu disputatum est: alii plane eam reiecerunt, aliis usque ad astra extulerunt: alii ad sanitatem conservandam tantum adhibendam contenderunt: alii limites eius ad morborum curationem constrinxerunt.

Notum est omnibus, Romanos, Graecia victa, ipsos factos fuisse Graecos, cum divitiis, opibusque Romam transportatis, et mores depravatos, luxuriam, libidinem, vivendique rationem delicatiorem, ac effeminatam sedem ibi fixisse. Temporibus Asclepiadis, iam fere summum mollitiei, vitaeque luxuriosae attigerant Romani fastigium, de die in diemque voluptatibus indulgebant. Balineis utebantur, et omnibus, quae suaves eas reddere poterant, artibus mente summe delicatula excogitatis, frictionibus, unctionibus; varias corpus molliter movendi rationes excogitabant, gestationes in sella, lectica equitationes, vectationes curru et navi lautissimas in deliciis habebant. (Cap. IV.) Quid mirum ergo, Romanis exoptatissimum fuisse medicum, qui hacce vivendi ratione et in morbis uti permitteret? Is medicus fuit Asclepiades noster, qui his artibus Graecam medicinam Romanis invidiosam

diosam acceptam et exoptatam reddere intelligeret *h*). Celeberrimus est praecipue ob hanc diaetetices partem cum medicina coniunctam, et profecto dolendum est, tam pauca de usu eius, quem proprium sibi fecerat, scriptores nobis reliquisse, et haec pauxilla tam incerta. Haud dubie maior doctrinae eius affulgeret lux, nobisque profecto inde redundaret utilitas. Nam negari non potest, et nostris temporibus medendi rationem ingens capturam esse emolumentum ex prudentiori huius diaetetices usu, et quam maxime dolendum est, plane ferme e nostra medicina eam exulatam esse *i*).

Asclepiades in eo Erasistratum secutus est, quod contenderet, exercitationes nil conducere corporibus sanis *k*). Mirum id omnino videtur, nec produnt scriptores rationes, quibus ductus prohibuerit eas sanis, aegris vero commendarit. Forsitan nimium earum usum Romanis celebratum coercere voluit? Forsitan revera et argumentis, quae profert Mercurialis *l*), quae vero nullibi in veterum scriptis Asclepiadea me legere memini, nixus e re id putavit.

Ne

h) Plin. H. N. XXV. 5. „quae cum unusquisque, semet ipsum sibi praestare posse, intelligeret, faventibus cunctis, ut essent vera, quae facillima erant, universum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si coelo emissus advenisset.„

i) Bianchini la med. d'Asclep. disc. III. §. I — IV.

k) Galen. de tuend. valet. I, p. 225. To. I.

l) de art. gymn. IV, 2. p. 250.

Ne vero in praefandis nimis esse videamur longi, nunc singula, quae Asclepiades de arte gymnastica protulit, exarare animus est.

I. DE FRICTIONE. *m*)

§. 71. „*De frictione vero et gestatione adeo multa Asclepiades tanquam inventor eius posuit: quod in eo volumine, quod communium auxiliorum scripsit, cum trium tantum faceret mentionem, huius et equi et gestationis, tamen maximam partem in hoc consumserit. Oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quae vel repererunt vel recte secuti sunt, et tamen ea, quae apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere. Neque dubitari potest, quin latius quidem et dilucidius, ubi et quomodo frictione utendum esset, Asclepiades praeceperit, nil tamen repererit, quod non a vetustissimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehensum sit.*„ *n*).

Differt frictio, pro varia defricandi ratione, aut est vehemens aut lenis, aut multa aut modica, aut longior aut brevior: differt deinde pro variis adiutoriis, quibus corpus perfricatur, aut solis manibus frigidis vel calidis, aut pannis, aut oleo, aut unguentis: differt quoque pro variis corporis partibus, quae fricantur.

Variis hisce defricandi corpus rationibus usus est Asclepiades, ut varias inde depelleret aegri-

m) Bianchini disc. III. §. IV.

n) Cels. II, 14.

aegritudines, atque videtur esse secutus Hippocratem, qui dixit *o*), *frictione, si vehemens sit, durari corpus: si lenis, molliri: si multa, minui: si modica, impleri.* Sic in intestinorum doloribus fricandas inquit partes, quae patiuntur, *cito, plurimo tempore, atque operose, quantum loca ipsa pati potuerint* *p*). Ad validas, quibus usus est, frictiones pertinet quoque illa, quae fit *retento spiritu*, quaque aquam in hydrope discutere cogitabat *q*). — Titillatione illa suavi, qua cutis demulcetur frictione leni, ita, ut ne minimum quidem, qui fricaret, vehementer imprimeret, consecuturum esse putabat, ut somnus accederet *r*). — Ut frigidum torporem, quo corpus esset correptum, depelleret, calidis manibus fricare, partesque pannis circumtegere suadebat *s*). — Tetanicis *omnes spinae spondylos* per diem noctemque iugiter fricat eo, haud dubie, animo ut depellat spasmos *t*).

In febre frictio non nisi in remissione eius utilis est *u*).

Ex his igitur, quae cum maxime enarravimus, evidenter elucet, adhibuisse Asclepiadem frictio-

o) Cels. l. c.

p) Cael. Aur. morb, ac. III, 17. p. 245.

q) Cael. Aur. morb chr. III, 8 p. 489.

r) Cels. III, 18.

s) Cael. Aur. morb. ac. II. 39. p. 175.

t) Cael. Aur. morb. ac. III, 8. p. 216.

u) Bianchini disc. III, §. V.

frictiones, ut discuteret humores stagnantes, eosque detraheret, ut vias aperiret, somnum alliceret, partes emolliret, calefaceret: id quod intelligere opportunior erit locus in enarratione morborum, quibus fricandi methodum opposuit.

II. DE GESTATIONE.

§. 72. Omnium, quae ad morborum curationem excogitatae sunt, exercitationum profecto facillima longeque commodissima est *gestatio*, qua uti potest aeger, si vel adeo infirmus sit, ut ipse se movere nequeat. Potest versari in agris, sub dio, frui sole, refici aere puro: potest moveri placida ac suavi ratione, quousque lubet *v*).

„*Genera autem gestationis plura sunt adhibenda: quae sunt et pro viribus cuiusque, et pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obsint. Gestationum lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari navi, vel lectica aut scamno: acrior vehiculo. Atque haec ipsa, et intendi et leniri possunt.*" *x*)

Putant plurimi medici, gestationem esse adhibendam non nisi in febris remissione, et in morborum fine. *Asclepiades vero etiam in recenti, vehementique febre, praecipueque ardente,*

v) Bianchini disc. III, §. V.

x) Cels. II, 15. Merc. de art. gymn. III, 10. sqq. Gesn. Christ. Plin. XC. not 9.

te, ad diſcutiendam eam, geſtatione dixit utendum eſſe y).

Effectus, quem geſtatio in corpus exſerit, is eſt, quo *viae apertiores* fiant z). Nimirum febris exoritur ſecundum Aſclepiadem ex viarum obſtructione, atque ſeceſſione corpuſculorum impedita (infra Cap. VIII.) Ut igitur ei mederetur, excogitavit remedia, quae ſolverent ſtagnationes, curſumque corpuſculorum interceptum reſtituerent, atque hunc ad finem praecipue praedicavit geſtationem, quae ſuavi motu tollit obſtructiones, corpuſcula tardantia impellit, eorumque ſeceſſionem reſtituit. Hinc intelligere quoque poſſumus, quid ſit, quo commotus Aſclepiades laudarit geſtationem in recenti atque vehementi febre, praecipueque in ardente diſcutienda.

Ne vero geſtatione nimis augeretur corpuſculorum ſeceſſio, atque inde deficerent aegrotantes: noctu potius et poſt cibum geſtationem putat eſſe adhibendam a). Nimirum *noctu*, id eſt, poſt coenam: *poſt eam* vero, quoniam corpuſcula motu geſtatorio e corpore eliminata reſtituuntur cibis in ventriculo ſolutis in corpuſcula, quae tunc per totum corpus digeruntur.

Putavit deinde, geſtationem inſervire quoque ſomno largiendo. Hinc in phrenitide medenda ait, ad requiem largiendam ſufficiens erit motus

y) Celſ. l. c.

z) Cael. Aurel. morb. ac. I. 15. p. 55.

a) Cael. Aurel. morb. ac. l. c. p. 52.

motus baiulatoria sessione adhibitus, quia mox aegros mites ac delicatos facit *b*).

In haemoptoicis prohibet gestationem, ne inde sanguinis eruptio augeatur *c*).

III. LECTVLI PENSILES.

§. 73. Mercurialis putat, eos fuisse quatuor angulis funibus ad cubilium laquearia alligatos ita, ut e terra sublati aliquantulum, quasi in aere pendere viderentur *d*) De duplici eorum ratione certiores nos facit Celsus, aut *suspendi lectus debet, et moveri*, aut certe *uni pedi lecti funculus subiiciendus est, atque ita lecus huc et illuc manu impellendus e*).

Effectus cuius causa adhibuit Asclepiades lectulos pensiles, nullus fuit alius, nisi quem iam e gestatione proficisci vidimus. Hinc ait Plinius *f*): *alia quoque blandimenta excogitabat, iam suspendendo lectulos, quorum iactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret.*

IV. DE

b) Cael. Aurel. l. c.

c) Cael. Aurel. morb. chr. II, 13. p. 417.

d) de art. gym. VI, 11, et III, c. 12.

e) Cels. l. c. alii legere malunt *uni pedi lecti fulcimentum subiiciendum est*, et magis arridet haec lectio. Nam facilius ac melius lectus huc illucve moveri potest, fulcimento subdito, quam si in terra, solo, pavimento stat.

f) Plin. H. N. XXVI, 3.

IV. DE AMBVLATIONE.

§. 74. Pauca ac manca ſunt, quae de hoc Aſclepiadis adiutorio in ſcriptis veterum leguntur. Dubium non eſt, quin eadem, quae in ſcriptis ſectae methodicae hac de re praeclara ac eximia deprehenduntur, docuerit, quin vel eorum auctor princeps fuerit g). Sed in tanta teſtium penuria ignoramus, quae re vera Aſclepiadi debentur. Hinc ea tantum hic enarrare poſſumus, quae certa Aſclepiadis dogmata apud ſcriptores reperiuntur.

Quod iam ex iis, quae hucusque enarravimus, vidimus, totos fuiſſe veteres in hac medicinae therapeuticae parte, id comprobatur quoque diligentia, quam navarunt deambulationibus. Non ſolum id urgebant, ut perpetua ambulatione moverent corpus, ſed id potius, ut variis deambulationum rationibus vario modo, et leniter et vehementer corpus exercerent atque refocillarent. Semper habebant praecipuam rationem aut motus ipſius, aut loci, in quo perficiuntur ambulatoriae exercitationes, aut temporis, in quo aut quousque fiunt.

Utitur Aſclepiades plurima deambulatione atque curſu, ut humores in certis corporis partibus

g) Legi iterumque legi hunc ad finem merentur ſcripta Caelii Aureliani, Aretaei, aliorumque, qui hac de re ſermocinantur. Egregie ac prolixius ſcripſerunt *Proſperus Alpinus de medicina methodica* et *Mercurialis de arte gymnaſtica*. vid. *Bianchini* diſc. III, §. VI.

bus collectos, velut in hydrope, discutiat atque eliminet *h*). Utitur deambulatione in locis arenosis, ut partes relaxatas corroboret *i*).

Alius quoque cuiusdam deambulationis mentionem facit Caelius, quam opposuit Asclepiades nimiae partium laxitati, nuncupatque eam *scamma* sive *transcensum lignorum k*).

V. DE BALNEIS.

§. 75. Iam circa Asclepiadis aevum balneorum usum Romanis adeo fuisse celebratum, ut magnam diei partem in iis viverent, inter omnes constat: nec mirum igitur, Bithynum nostrum,

h) Cael. Aurel. morb. chr. III, 8 p. 489.

i) Cael. Aurel. morb. chr. II, 1, p. 364. Ex aliis quoque veterum mentionibus compertum habemus, tales in arena deambulationes usurpatas fuisse ad partibus robur omissum restituendum. Sic Augustus dum coxendice et femore et crure sinistro laboraret, hac deambulatione confirmatus est. Vid. Suet. Aug. c. 80. Ex his satis superque elucet, non intelligendam esse musculorum debilitatem, sed eam, quae est in nervis. Hinc Asclepiades paralysi opposuit deambulationem in arena, et Augustus dolore ischiatico liberatus est. In hisce morbis et recentiores bono cum successu utuntur balneo arenae.

k) *Scamma* (secundum Almeloveen. not. ad h. l. p. 64. o.) est, quando trans machinam a fabris materiariis e tignis exstructam velut equleum agitatione corporis et nisu sese, quasi ultra transtra levare iubebantur. Amman. ad h. l. opinatur, esse terminum spatii, quod transiliunt, qui saltu sese exercent, vel apposito longurio factus, vel ducto sulco. Vid. Th. Reines. Var. Lect. III, 18. p. 666. et Lexic. Coelian. s. v.

nostrum, cum iis et in morborum curatione uti
suaderet, tot sortitum esse sectatores, ac fauto-
res, quae praecepta summa cum voluptate arri-
perent, atque in usum converterent *l*). Pro-
fecto dolendum est, pauperrimos nos relinquere
veteres, quod attinet ad usum, quem proprium
sibi fecerat Asclepiades. Etsi haud improbabile
est, plurima, quae in scriptis methodicorum
leguntur, edocta fuisse ab ipso Asclepiade: ta-
men nil certi edici potest, quae et quot eorum il-
li debeantur *m*).

Balneorum duplicem refert usum Celsus.
„*Nam modo discussis febribus initium cibi plenio-
ris, vinique firmioris valetudini facit: modo feb-
rem ipsam tollit, fereque adhibetur, ubi summam
cutem relaxari, evocarique corruptum humorem,
et habitum corporis mutari expedit. Antiqui ti-
midius eo utebantur, Asclepiades audacius. Ne-
que terrere autem ea res, si tempestiva est, debet:
at ante tempus, nocet.*„ *n*)

VI. BALINEAE PENSILES.

§. 76. *Balineae pensiles*, primum a Sergio
Orata, qui circa Asclepiadis aevum vixit, inven-
H 2 tae,

l) Plin. H. N. XXVI, 3. „iam balineas avidissima hominum cupidine instituendo, et alia multa dictu grata, atque iucunda.„

m) Vid. Bianchini disc. III, §. VII. Prosp. Alpin. de medic. method. lib. V. cap. 7.

n) Cels. II, 17.

tae o), primumque ab Asclepiade in morbis profligandis usurpatae p), haud indignae sunt, quae hic paucis memorentur. Lis est de iis, earum fabrica et structura, inter viros doctos. Gesnerus q) putat, superstructas eas fuisse hypocausto sic dicto sive locis concameratis, sub quibus ignis accensus flamma sua fundum et latera lavacri lambere et calefacere poterat: aquam vero per varios canaliculos ductam, atque in his vario modo calefactam fuisse, ita ut ex altitudine dimissa, aut calida, aut tepida, aut frigida, pro balneantis voluptate, in lavacrum decideret. Nititur haec sententia antiquo monumento apud Fabric. ad Sext. Emp. p. 50. exsculpto. Mercurialis vero autumat r), balnea pensilia, non quae supra tecta fiebant, aut concamerata loca, ut voluerunt, sed nulla alia fuisse, quam labra illa vel marmorea, vel aenea, vel lignea ad lectulorum imitationem laquearibus appensa, quo minimo quolibet manuum impulsu, alias leniter, alias vehementer agitari valerent. His igitur motibus quoscunque exerceri medicos praecepisse persuasum sibi habet, huic uni potissimum studuisse, ut motum citra laborem, lassitudinemve ullam afferrent: deinceps curasse, ne in exercitatione illa iucunditas desideraretur, quae profecto magna in lectulis, at maxima in balneis reperiretur, nempe quae praeter suavissimum illum

o) Plin. H. N. IX, c. 54.

p) Plin. H. N. XXVI, 3. „impertito tum primum pensili balinearum ad infinitum blandiente.„

q) Gesn. in Chrest. Plin. XC. not. 22.

r) Mercur. de art. gymn. III, 12. p. 252.

lum motum aquae delectationem adderent, dum mollissima blandaque titillatione singula corporis membra tangebant. Pergit deinde Mercurialis: „*si balnea pensilia ea fuisse intelligantur, quae supra tecta fierent, quomodo in illis maior illa voluptas, ob quam secundum Senecam et Plinium excogitata fuerunt, reperiretur, quam in aliis, non video.*„ Sed nonne ex casu illo aquae ex altitudine ductae eadem oritur titillatio? Deinde haud probabile videtur, magna illa labra aqua repleta laquearibus fuisse appensa: et monumentum illud apud Fabricium depictum omnem tollere videtur dubitationem.

De usu, quem expectaverit Asclepiades ex his balineis pensilibus in morborum curatione adhibitis, nil produnt scriptores. Sed haud difficile est perspectu, rite expensis effectibus, quos iam de balneis, de gestatione atque de lectulis pensilibus enarravimus *s*).

VII. BALNEA FRIGIDA.

§. 77. Profecto omni laude superior est Asclepiades, primus auctor, qui usum aquae frigidae medicum tanto favore praedicaret, ut inde cognominari se gloriaretur *t*). Nil quidem enar-

s) Sic Bianchini disc. III. §. IX. ad structuram balinearum secundum Mercurialis sententiam provocans dicit: „Il primo attese al solo affinamento del piacere, rendendo l' acqua soavemente mobile in atto di lavarsi: il secondo cerco d'unire in un ajuto solo la virtu del bagno e della gestazione.„

t) Plin. H. N. XXVI, 3. „ipse cognominari se frigida danda praeferens, ut auctor est M. Varro.„ Hinc colligit Hardui-

enarrant Veteres, quod certiores nos facere potest, de iis, quae ipse docuit: sed praeclara haud dubie erant eius praecepta, quae tanta ambitione amplexi sunt eius sectatores, methodici, pneumatici, et quae usque ad hodiernum diem omni opera a medicis vindicantur *u*).

Non solum aqua frigida lavari suadebat, sed de interno quoque eius usu verba faciebat. *Vehementer utile dicit aquam bibere, et frigida lavari, quam ψυχρολουσίαν appellant, et frigidam bibere v*)

Sic in diarrhoea, vel illa cum febre ac torminibus comitata, *frigidam assidue potionem esse debere contra priores auctores Asclepiades affirmavit, et quidem quam frigidissimam x*).

Ne vero credamus, suasisse Asclepiadem promiscue, ac sine omni discretione adhibita, aquae frigidae potum, enarrat Celsus, indicasse eum a balneo venientibus, atque sudantibus eam inutilem *y*).

VIII.

Harduinus ad h. l. Asclepiadem vocatum esse Δοσίψυχρον, aut, ut Gesnerus in Chrest. Plin. coniicit, ψυχροδότην, ad imitationem lavacri frigidi, a quo ψυχρολούτης nuncupatus est.

u) De usu aquae frigidae enarrantur nonnulla infra cap VIII, ubi de hydrophobia sermo est. Cf. Plin. H. N. XXV §. 38. Dio Cass. lib. LIII, cap. 30. De Cassio, Asclepiadis sectatore vid Cels. in introd. Cf. Prosp. Alpin. de medic method lib. V, cap 7. Bianchini disc. III, §. VIII.

v) Cael. Aurel. morb. acut. I, 14, p. 44.

x) Cels. IV, 91.

y) Cels. I, 3. Cf. Bianchini disc. II, §. XIII.

VIII. SPIRITVS COHIBITIO.

§. 78. *Spiritus cohibitionem* inter exercitationes et praecipue apotherapeuticas ab optimis gymnasticis repositas fuisse memoriae tradidit Galenus z). Fit autem, ubi omnibus musculis thoracis, qui circa costas cernuntur, intentis atque coactis, expiratio intercipitur a). Duplex est spirationis cohibitio, qua utuntur medici: siquidem aut tenduntur musculi thoracis, remissis iis, qui sunt in septo transverso atque abdomine, ut facilius excrementa deorsum trudantur, aut hi quoque tenduntur, ut ea quoque viscera, quae sub septo sunt, exercitationis fructum experiantur. Semper vero et thorax et abdomen cingitur fasciis quibusdam (ἅμματα) quo facilius ac felicius succedat exercitatio. Effectus, qui inde corpori redundat, est, ut excrementa, quae latent in thorace et abdomine eliminentur, calorque animalis augeatur b).

An ipse Asclepiades spirationis cohibitione usus sit auxilii atque medicinae loco, ignoramus, cum scriptores nil eiusmodi memorent. Id vero refert Galenus, edixisse eam noxiam, quod caput inde oppleretur c). Id quod bene ab Asclepiade observatum est, atque quotidiana confirmatur experientia. Nimirum, spiratione

H 4 im-

z) Galen. de tuend. valet. lib. III. p. 245 T. IV.

a) Galen. l. c. ἐπειδὰν ἅπαντας ἐντείναντές τε καὶ προσστείλαντες τοὺς μῦς τοῦ θώρακος, οἳ κατὰ τὰς πλευράς εἰσιν, ἐπίσχωμεν τὴν ἐκπνοήν.

b) Mercurial. de art. gymn. III, 6, p. 205 sq. VI, 4. p. 355.

c) Galen. l. c. p. 247.

impedita, sanguinis ex capite refluxus intercipitur, quo fit, ut eius copia caput oppleatur, venae arteriaeque distendantur, oculi intumescant, facies rubefiat, et parum absit, quin status apoplecticus oriatur.

VINVM EIVSQVE VSVS MEDICVS.

§. 79. Ad res illas, ob quas Asclepiadis methodus medendi praecipue inclaruit, sed multis quoque adversariorum obtrectationibus, quin conviciis obnoxia fuit, in primis pertinet vinum, eiusque usus, quem in morbis profligandis proprium sibi fecerat. Omnem movet lapidem Caelius Aurelianus, ut hanc ob rem clarum Asclepiadi nomen detrahat. Quisquis vero paulo accuratius perlegerit, quae in Caelio adumbrata deprehendimus, inficias ire non potest, Asclepiadem cum de vino aegrotis propinando sermocinatur, dignum esse, qui summis artis nostrae hominibus adnumeretur. Operae igitur pretium facturi videmur, cum pauca illa, quae ad nos pervenerunt memorata, ex farragine obtrectationum vindicamus atque eruimus.

Ad communia auxilia numerat vinum *d*) hinc in illo libro, quem de communibus adiutoriis scripserat, mentionem eius facit, pluribus vero in illo de vini datione. (Vid. supr. Cap. III.) In libro de communibus adiutoriis, utriusque virtutis vinum dixit. „*Sicut enim, ait, coagula densant atque extenuant lactis naturam, cum caseus ex lacte crassescat, ac materia exinde tenuior*

d) Plin. H. N. XXVI, 3.

tenuior ac magis liquida fiat, quam Graeci ἐῤῥὸν appellant, atque haec contraria eadem virtute suffecta separentur. Non aliter et vinum vi quadam suae percussionis, plurimam nutrimenti partem densare accepimus, atque in se cogere, plurimam vero resolvere ac diraräre, et tenuem facere.,, e) Risum hanc ob rem effundit Caelius: sed quis nescit, lac vino mixtum ad coagula cogi? Haud dubie hacce experientia edoctus putat Asclepiades, eandem sortem experiri succum nutritium, vino commixtum. — Sed profecto ne verbo quidem cogitavit Asclepiades, ut hac vini virtute usum, quem de eo in phrenitide periculosa curanda fecit, probaret: enarrabat hanc experientiam virium vini explorandarum causa institutam in libris de communibus adiutoriis, ut veritatem physiologicam experimentis ac usu erutam. Caelius vero, Asclepiadi ob vinum in phrenitide perniciosa propinatum oppugnaturus, repetit hancce experientiam, eo animo, ut probet, Asclepiadem sibimet ipsum contradixisse. — Sed quam ob rationem vinum dederit phreniticis periculosis, paulo inferius videbimus, ubi elucebit, egregie illum aegrotis phrenitide labefactatis hac medicina consuluisse.

Pergit Cael. l. l. his verbis: ,, *dicit* (Asclepiades) *vini tutam potationem in passioribus tardis magis, quam in celeribus, vel acutis: et in his, qui dimissionibus relevantur, magis, quam in his, qui continuatione vexantur: et senibus magis, quam in iuvenibus: et praepurgatis, clystere, vel*

e) Cael. Aurel. morb. acut. I, 15. p. 58.

vel sitientibus, magis, quam plenis cibo: et inchoantibus ac deficientibus febribus magis, quam summa tenentibus: et post accessionem potius, quam ante ipsam.,, Ecquis non summa laetitia perfunditur, talia praecepta lectitans? Nonne Asclepiadi iure meritoque debetur nomen medici egregio iudicio pollentis, omnia, quae ad artis exercitium spectant, eximio ingenio diiudicantis? Nonne nostris quoque temporibus medico maximum est decus atque ornamentum, ut in remediis adhibendis respiciat res illas, quae eorum usum promiscuum non permittant? et eximie his virtutibus ornatus conspicitur Asclepiades. Laudat et propinat aegrotis vinum, sed non promiscue adhibet, empirica cognitione ductus, aut aliarum auctoritate occaecatus: bene internoscere valet res illas, quae usum eius suadent, ab illis, quae eum prohibent. Respicit morbum ipsum, respicit eius tempus et statum, respicit aetates, et alia quae huc pertinent.

Nunc quaestio oritur, quibus rationibus motus, et in quibus morbis, perhibuerit Asclepiades vinum, quasque in eo putarit abditas esse vires? — Primum multi, quorum curationem tradit Caelius, nos docent morbi, Asclepiadem proficuum putasse vini usum ad debilitatem, laxitatemque tollendam, et reconvalescentibus ad vires morbo exhaustas restituendas *f*). Huc pertinet quoque, quod vim vitae sopitam vino

f) Cael. Aurel. morb. acut. I, 15. p. 40. morb. acut. II, 22. p. 132. morb. ac. III, 21. p. 263. morb. cur. II, 1. p. 365. morb. chr. II, 7. p. 386. Cels. III, 21.

vino excitari crederet g). Id vero, quod omnes vere, qui hucusque Asclepiadis historiam tractarunt, quam maxime male habuit, est, quod persuasissimum sibi haberent, Asclepiadem dedisse quoque vinum febricitantibus. Sed omni, qua par est diligentia locos illos, quibus suffulciri videbantur perlegi, et nihil inveni, quo commoveri possem, ut eorum sententiae calculos adiicerem. Operae igitur pretium est, ut paucis de ipsis illis locis dispiciamus. Utique verum est, Caelium Aurel., enarrare, Asclepiadem iussisse *vinum febricitantibus dari*, sed ipse quoque admonet, dedisse *adiecta discretione* h).

Nimirum fere semper in fine febrium vinum suadebat ad vires exhaustas corroborandas, atque excitandas. Probant hoc loci ex Caelio petiti, quos cum maxime memoravimus, quibus addere iuvabit Celsum i). Cum vero propinaret vinum in curatione phrenitidis perniciosae et passionis cardiacae, haud dubie nil aliud fecit, quam quod nostra quoque medendi ratione confirmatur, nempe, in statu morborum putrido aut nervoso nullum vino superius esse remedium. — Aegrotis lethargo affectis permittere solebat vinum, sed minime, ut febri inde medicina fieret, ut potius stuporem tollere cogitaret. De his fusius sermocinandi opportunior locus erit infra Cap. VIII.

Occur-

g) Cael. Aurel. morb. ac. II, 9. p. 87.

h) Cael. Aurel. morb. ac. I, 14. p. 43.

i) Cels. III, 14.

Occurrunt nobis ſcripta veterum evolventibus varia vinorum genera, quae vel natura ipſa diverſa erant, vel arte ita condita, ut plane aliam induerent indolem. Quam vinorum variam naturam Aſclepiades ſemper reſpiciebat, nec idem eſſe putabat, qualecunque eſſet vinum, quod aegrotis ſuaderet. — Notum eſt uni cuique, qui vel ad limites tantum veterum monumentorum acceſſit, veteres, quod ad quotidianum atque conſuetum vini uſum attinet, quam ſobrie ac modeſte ſe geſiſſe. Fere enim ſemper bibere ſolebant vinum aqua commixtum, ita ut plurima miſcelae pars eſſet aqua. Quid mirum igitur, veteres medicos liberiorem ac largiorem vini uſum conceſiſſe aegrotis, ut vel febricitantibus ei non prorſus interdicerent *k*) Aſclepiades quoque huic conſuetudini obtemperabat, ut illud vinum maximam partem aqua commixtum propinaret. Sed interdum mutare ſolebat hancce vini et aquae rationem. Sic in catarrho vinum ita temperabat, ut uni cyatho aquae unum vini admisceret, quo vini et aquae quantitas coaequeretur *l*). In paſſione cardiaca jubet vinum meracum non mixtum dari *m*) putabat nempe, vino meraco maiorem vim conſtringendi ac roborandi ineſſe. — Ut vero ſemper variam temperandi vini rationem reſpicere ſolebat ſic etiam alias res medicinae cauſa addere interdum e re eſſe putabat. Sic legimus, ex ſueto veterum more admisceri iuſiſſe vino aquam marinam

k) vid. Mercurial. Var. Lect. lib. I. cap. 18. et Le Clerc. Hiſt. de Med. II, 3, 7.

l) Cael. Aur. morb. chr. II, 7. p. 386.

m) Cael. Aur. morb. ac. II, 39. p. 176.

rinam quod vini factitii genus appellatum est τεταλασσωμένον n). Persuasum nimirum sibi habebat, ex aqua marina adiecta vinum nancisci maiorem vini excitandi, corroborandi atque constringendi, citiusque ad omnes corporis partes labi o). Id quoque vini genus, quod mulsum audiebat, saepius aegrotis propinabat p). Huic mulso interdum et alias res addebat ut rutam et hyssopum, vel polentam q). Eodem modo etiam discrimina spectabat, quae ex terra nativa vinis insunt. Sic Caelius Aurel. ad non t, dedisse febre typica laborantibus vinum *Samothracium* r).

Quod ad copiam attinet, quam vini exhibuit, aut tempus eius dandi, semper respicere consuevit, naturam vel vini vel aegroti, tempus et statum morbi, vel eius indolem, et in universum omnia, quae circa hasce res cadere solent. Sic in febre intermittente tres sextarii partes bibere iubet s) maiorem quantitatem lethargis, quam phreniticis t), noctu, diu, atque iugiter

n) Cf. Bernard. ad Theoph. Nonn. cap. 69. p. 249. To. I.

o) Cael. Aurel. morb. acut. I, 15. p. 55. morb. ac. II, 39. p. 175.

p) Cael. morb. ac. I, 15. p. 51. de mulsi confect. vid. Oribas. collect. medic. V. c. 25. Aet. Tetr. I. Serm. III. cap. 62. sqq. Plin. H. N. XXII, 53.

q) Cael. Aurel. morb. ac. II, 22. p. 132. morb. ac. III, 21. p. 263.

r) Cael. Aurel. morb. ac. I, 14 p. 43.

s) Cael. Aur. morb. ac I, 14 p. 43.

t) Cael. Aur. morb. ac. II, 9. p. 87.

iugiter in paſſione cardiaca u). Optimum vero tempus, quod vino dando aptiſſimum putavit, eſt finis morborum, praecipue febrium, ut iam demonſtravimus. *Probat quoque vinum dandum poſt cibum: ſiquidem ſolum facile penetret, ac pertranſeat corpora, non aliter, quam ſi ſine ulla faece per liquatoria ſundatur, quorum cavernae, nullis obſtantibus, facile accipiunt atque reddunt accepta. At ſi poſt cibum, inquit, datum fuerit, manebit, non aliter, quam ſi cum faece, ut ſupra dictum eſt, in liquatoria fundatur* v)

Haec ſunt, quae de ratione, qua Aſclepiades vinum in vincendis morbis uſurpavit, proferre operae pretium putavimus. Luculenter ex his elucet, maximas ei addidiſſe laudes, ut vel diceret, *vini utilitatem vix deorum potentia aequari poſſe* x), bene ac egregie vires eius varias perſpexiſſe, maximisque in arte noſtra viris ad numerandum eſſe ob uſum, quem de eo in morborum curatione fecit. Iam inter antiquiores medicos *Cleophantus* quidam vini rationem illuſtraverat, cuius viri pleraque praecepta ſecutus eſt Aſclepiades y), ita tamen, ut magis praeceptorum auctor eſſe videretur. Hinc Apuleius: „*primus etiam vino opitulari aegris reperiit, ſed dando ſcilicet in tempore*,„*cuius rei obſervationem probe callebat*.„ z)

DE

u) Cael. Aur. morb. ac. II, 39. p. 175.

v) Cael. Aur. morb. ac. II, 39. p. 176.

x) Plin. H. N. XXIII, 22.

y) Plin. H. N. XXVI, 3.

z) Apuleius in Florid. IV. p. 276. cf. Plin. H. N. VII, 37.

DE VSV MVSICES IN MORBORVM CVRATIONE.

§. 80. Lis fuit et est inter medicos, an musicae ulla sit tribuenda vis in morborum curatione, nec minus disputatum est, quae sit illa. Sunt, qui plane eius vim negent: sunt, qui affirment, atque ab horum sententia stat Asclepiades, cuius nonnulla extant apud auctores momenta, ex quibus quodammodo colligere licet, quod emolumentum exinde corpus morbosum capere sibi finxerit *a*).

Quantum ex iis, quae enarrant scriptores, elucet, praecipua musices vis secundum Asclepiadis sententiam statuenda est in iis morbis, in quibus mens est affecta. Hinc *phreneticorum mentes morbo turbatas, saepe per symphoniam suae naturae reddidit b*). Eadem ex ratione praecipit cantilenam esse adhibendam in maniae curatione. Pluribus secundum eius sententiam sic loquitur Caelius: „*utuntur etiam cantionibus tibiarum varia modulatione: quarum alteram phrygiam vocant, quae sit iucunda atque excitabilis eorum qui ex moestitudine in furore noscuntur: aliam diram, vel quae occupata mente pudorem suadeat, iniecto rigore, ut in bello, quam dorion appellant, in iis, qui risu, vel puerilibus cachinnis afficiuntur.*„ *c*) Huc pertinet, quae eadem

a) vid. Biancuini disc. III, §. X. Roger. tent. de vi soni et musices in corp. hum. (Aven. 1758.) §. 251. p. 99.

b) Censorin. de die natal. cap. 12.

c) Cael. Aurel. morb. chr. I, 5. p. 337. Placet magis alia lectio, quae sic se habet: — *aliam Lydiam, vel quae ira occupa-*

dem mente, qua Asclepiades, egregie memoriae tradidit in phrenitidis cura Celsus, sic verba faciens: „*adversus autem sic insanientium animos gerere se pro cuiusque natura necessarium est. Quorundam enim vani metus levandi sunt: sicut in homine praedivite famem timente, incidit, cui subinde falsae hereditates nunciabantur. Quorundam audacia coercenda est, sicut in his fit, in quibus continendis plagae quoque adhibentur. Quorundam etiam intempestivus risus obiurgatione et minis prohibendus est. Quorundam discutiendae tristes cogitationes: ad quod symphoniae et cymbala strepitusque proficiunt d*).

ADVMBRANTVR RES QVAEDAM MVLTI MOMENTI, QVAS SEMPER SECVTVS EST ASCLEPIADES IN MORBORVM CVRATIONE.

§. 81. 1. Iam ex pluribus, quae hucusque enarravimus, intelligere licuit, quam egregie se gesserit Asclepiades circa doctrinam suam condendam stabiliendamque. Vidimus quoque, quam illi summa debeatur laus, quae in medicos aegro-

occupatae menti pudorem suadeat: aliam iniecto vigore ut in bello, quam Doricam appellant, in iis, qui risu vel puerilibus cachinnis afficiuntur. Toto perlecto hoc Caelii capite, nullus dubitare potest, quin haec sint descripta ex Asclepiadis libris. Nimirum Caelius percenset varias maniae curandae rationes, nullis auctorum nominibus additis. In fine vero capitis (p. 338.) dicit: „quae ne falsa putentur, erunt denuntiandae personae, atque librorum nomina designanda. Asclepiades secundo adhibendam praecepit cantilenam.„

d) Cels. III, 18.

aegrotis opitulantes cadere poteſt. Vidimus, nil neglexiſſe, quod unquam medicum circa aegrotorum lectulos viventem decet. Id ſemper ei erat ratum, nil certi de morbis, eorumque cognitione ac curatione edicere, cum probe ſciret, quam coelo, aere, aetate, regionibus, vitae genere, aliisque id genus rebus, et morbi ipſi variarentur, et medicamentorum vires. (§. 69. §. 79.) Quo magis eniteant merita eius hanc ob rem, liceat addere ſententias ſectatorum, quae profecto veram redolent magiſtri mentem. Caelius ſic verba facit *e*):

„*Quidam medici, ex quibus ſunt Aſclepiadis ſectatores, etiam attendunt aeris qualitatem, quam Graeci* κατάστημα *vocant, et tempus et antecedentes cauſas, et naturam et aetatem. Aeris inquiunt habitum, ne is caleſcat, quod eius cauſis plurimos afficiat, ut ſaepe oculorum inducat lippitudines, vel ulcera. Tempus autem, ut aeſtatis finem vel autumnum. In his enim aiunt hanc frequentare paſſionem (phreniticam). Antecedentes inquiunt cauſas, ut vinolentiam vel vigilias, ac iuges aduſtiones: naturam inquiunt aegrotantis, ut ſi fuerit mente mobilis, atque iracundus, vel in diſciplinis literarum exercitatus, aut capite debilitato, et facile inflationem ſentienti, vel ſi quoties aegritudine afficitur, facile alienatione vexetur: aetatem inquiunt, ſi iuvenis. Omnia quidem ſunt providenda, non enim ex uno vel duobus, ſed ex multis concurrentibus, ſignificatio firmatur: unum etenim quiddam etiam ad aliud quiddam commu-*

e) Cael. Aurel. morb. ac. I, 2, p. 12. ſq.

commune est. At vero in unum conveniens multorum concursus, discretionum facit intelligentiam prominere.„

Eadem ratione in curatione tetanicorum discrimen advertit, quod inter naturam puerorum, mulierum ac virorum intercedit *f*) In medenda phrenitica passione respicit anni tempestates, iisque adaptat copiam potus *g*).

2. Asclepiades officium esse medici dicit, *ut tuto, ut celeriter, ut iucunde curet h*). Egregie deinde addit Celsus, fere periculosam esse nimiam et festinationem et voluptatem, hac vero esse utendum moderatione, ut, quantum fieri potest, omnia ista contingant, prima semper habita salute. Quod vel ab Asclepiade ita esse servatum, ut semper primum haberet rationem salutis, nemo est, qui dubitet. Ipse Celsus enarrat primis febris diebus nil eum curasse, utrum medela aegrotis esset voluptati nec ne, atque ideo falli, qui per omnia iucundam eius disciplinam esse contendunt. *Is enim ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriae subscripsit: primis vero tortòris vicem exhibuit i*).

3. No-

f) Cael. Aurel. morb. ac. I, 15. p. 51.

g) Cael. Aurel. morb. ac. III, 8. p. 215.

h) Cels. III, 4.

i) cf. Dor. Christ. Erxlebiae diss. exponens quod nimis cito ac iucunde curare saepius fiat causa minus tutae curationis. Hal. 1754. et Juncker. in progr.

3. Notum est, ante adventum medicorum Graecorum medicinam fuisse Romanis nullam aliam nisi quam quilibet sibimet ipse faceret. Mens superstitionibus adeo erat occoecata, ut, simulac morbis vexarentur, statim confugerent ad deorum opem, ad auguria, fascinationes, decantationes, aliasque id genus medicinas superstitiosas: medicamenta, quibus utebantur ea erant, quae quilibet paterfamilias propria ac hereditaria cognitione perspecta habebat: vigebant medendi rationes anxiae ac rudes, quae magis augebant aegrotis cruciatus, quam levamen iis praestabant. Instar omnium hic memorari potest Catonis medicina domestica. Asclepiades, cum Romam veniret, inprimis curavit, ut molestiam illam medicinam tolleret, atque inde hominum captaret favorem. Hinc ait Plinius: „*Asclepiadem adiuvere multa in antiquorum cura nimis anxia et rudia, ut obruendi aegros veste, sudoresque omni modo ciendi; nunc corpora ad ignes torrendi, solesve assidue quaerendi, in urbe nimbosa, immo vero tota Italia.*„ *k*) Credula ac superstitiosa hominum mens eo usque pervenerat, ut et herbis magicas impertiret virtutes, quorum nonnullas enarrat Plinius *l*). Sed cum iam multi essent, qui ipsi vanas perspicerent virtutes illas, nil fere impedimento erat Asclepiadi, quo minus omnem illis detraheret fidem. Idem haud dubie denotare voluit Plinius, perhibens: „*supra omnia adiuvere eum magicae vanitates, in tantum evectae, ut abrogare herbis fidem cunctis possent.*„ *m*)

I 2 4. Pro-

k) Plin. H. N. XXVI, 3.

l) Plin. l. c. cap. 4.

m) Plin l. c.

4. Profecto verum eſt, quod Celſus dicit, *eum recte curaturum, quem prima origo cauſae non feſellerit n*). Quod Aſclepiadis menti fuiſſe fixum ac perceptum, cuncta eius nos certiores facit doctrina, et Plinius refert, eum totam medicinam ad cauſam revocaſſe *o*). Hinc intelligere poſſumus, qua re ductus perhibuerit ſectam empiricam nullis nixam firmis ádminiculis *p*).

5. *Laudat etiam in ſalutaribus praeceptis vitae varietatem. Item habitudinem athleticam negat eſſe tutam r*).

Alia multa, quae hic adhuc deſiderantur, reſervavi, cum melius pertractari poſſint in capite ſequente.

n) Celſ. in praefat.

o) Plin. H. N. XXVI, 3.

p) Galen. de ſubfigurat. emp. cap. 13. p. 346. To. II. edit. Chart.

q) Cael. Aurel. morb. ac. I, 14. p. 44.

Cap. VIII.

De morborum cognitione et curatione secundum Asclepiadis doctrinam.

§. 82.

AEGRITVDINVM DIVISIO.

Communem aegritudinum divisionem secutus est Asclepiades, cum eas statueret *acutas* sive *celeres*, et *chronicas* sive *tardas*: alias *cum febribus*, alias *sine febribus*. Morbus ei nuncupatur *celer*, qui repente oritur, et celeriter solvitur r).

FEBRIS.

§. 83. Febris diagnosin hisce describit nominibus Asclepiades: *est fervor plurimus in omnibus sive plurimis corporis partibus, commutatio-*

r) Id evidenter elucet ex Cael. Aurel. morb. chr. III. 8. p. 469., ubi enarrat, Asclepiadem perhibuisse hydropem vel celerem vel tardum: alium cum febribus alium sine febribus. Pergit deinde Caelius: „*hoc siquidem communiter etiam aliis specialibus passionibus adscribens, non advertit, quoniam proprio nomine celer dicitur passio, non sola, quae repente consciitur, verum etiam ea, quae celeriter solvi posse monstratur.*

ne pulſus in vehementem ob obtruſionem facta.,, s). Putat vero, haec ſigna quoque adeſſe poſſe, quamvis aeger nulla laboret febre, atque ideo dicit, tunc tantum ea ſignificare febrem, ſi nulla alia adeſt cauſa manifeſta, cui ortum debere videantur *t*).

Haec ſunt febris ſigna, quae medici, ex quo febricitantes conſpicere licuit, diagnoſtica, et ad hodiernum usque diem immutata ſtatuerunt. De eorum cauſa vero atque origine in infinitas fere abeunt ſententias. Etenim quilibet ea principiis doctrinae, cuius vel auctor eſt vel fautor, accommodare, atque exinde ſyſtema ſuum ſtabilire ſtudet ac firmare. Ut Eraſiſtratus illa tribuit tranſitioni ſanguinis ex venis in arterias; ut Herophilus ea opinatur ſigna boni ſanguinis: ſic Aſclepiadi ſunt ſigna obtruſionis corpuſculorum, quae fit in meatibus *u*). Duobus igitur utitur Aſclepiades argumentis, ut probet occaſionem, qua generatur febris, quorum alterum eſt, quod in nobis ſunt quidam, qui mente perſpiciuntur, meatus inter ſe differentes magnitudine ac forma: alterum, quod undique parti-

s) Cael. Aurel. morb. ac. II, 35. p. 151.

t) Cael. Aurel. morb. ac. I, 14. p. 42. Nempe dicit ibi Caelius: „febrium ponunt (Aſclepiades eiusque ſectatores) ſignum fervorem plurimum, atque immutationem pulſus in vehementia, *niſi ex aliqua haec manifeſta fuerint cauſa.,,* Singula igitur ſigna nil probant, ſed omnia adeſſe debent, quae originem debentur corpuſculorum obtruſioni.

u) Sext. Emp. adv. Logic. II. ſ. 220. p. 499. ὡς ἐνστάσεως νοητῶν ὄγκων ἐν νοητοῖς ἀραιώμασι.

particulae humoris et ſpiritus ex moleculis ſeu corpuſculis colliguntur *v*). Quae corpuſcula igitur, ſi impedimento quodam in curſu per meatus intercipiuntur, febres excitant.

I 4 Ex

v) Sext. Emp. (adv. Geom. ſ. 5. p 311.) aliud tertium addit argumentum, nimirum, quod perpetuo a nobis emittuntur vapores vel plures vel pauciores, prout variae res eorum copiam aut augent, aut minuunt. Operae pretium est, ipſa eius verba legere, quae ſic ſe habent: ὅπου γοῦν τρισὶν ὑποθέσεσι κεχρῆσθαι φασὶν τὸν Ἀσκληπιάδην εἰς κατασκευὴν τῆς τοῦ πυρετοῦ ἐμπαύσεως ἐγχέσεως· μίαν μὲν, ὅτι νοητοί τινες ἐν ἡμῖν πόροι, μεγέθει διαφέροντες ἀλλήλων· δευτέραν δὲ, ὅτι πάντοθεν ὑγροῦ μέρη καὶ πνεύματος ἐκ λόγῳ θεωρητῶν ὄγκων συνηράνισται δι' αἰῶνος ἀνειλητῶν· τρίτην δὲ, ὅτι ἀδιάλειπτοί τινες εἰς τὸ ἐκτὸς ἐξ ἡμῶν ἀποφοραὶ γίνονται, ποτὲ μὲν πλείους, ποτὲ δὲ ἐλάττους, πρὸς τὴν ἐνεστηκυῖαν περίστασιν. Per tertium hoc argumentum intelligere voluiſſe Sextum Empiricum transpirationem, quae perpetuo viget in corpore ſano, in aprico eſt, nec eſt, quod dubitemus, quin eam explicarit Aſclepiades eadem ratione, qua fiunt ſecundum eum omnes corporis ſecretiones. Nempe ut corpuſcula ex cibis in ventriculo digeſtis tendunt ad veſicam urinariam, ibique eliminantur, ſic eadem corpuſcula meant ad cutim, ibique, materiam transpirabilem conſtituentia, perpetuo emittuntur. Idem ſibi perſuaſum habet Bianchini diſc. II, §. II, ſic verba faciens: „E mediante il vario diametro de pori accade la ſeparazione de' fluidi diverſi, che ſervano a nutrire, o accreſcere, o amollire tutte le parti componanti gli organi noſtri; *e tutta ſi mantiene la continua tranſpirazione univerſale.*„ Docet id quoque uſus frictionis atque geſtationis, quibus viae apertiores fiunt, corpusque diraratur. Cael. Aur I, 15 p. 52. ſupra §. 72. Forſitan quoque ſub vaporibus illis rectius intelliguntur non ſolum materia tranſpirabilis, ſed in univerſum omnes humores ſecreti, qui, aeque ac illa, quotidie ac fere perpetuo

Ex iis vero, quae ſupra enarravimus, perſpectum iam habemus, Aſclepiadem duplex ſibi ſinxiſſe genus corpuſculorum, quae per meatus feruntur, corpuſcula ipſa, et ſpiritum. Corpuſcula ſunt vel maiora vel minora: ſpiritum conſtituunt minutiſſima. Putat ergo, omnem febrium differentiam ſpectari in cauſa viam occludente, diverſasque eas eſſe, prout cauſa ſit ſita in corpuſculis, aut in ſpiritu. Corpuſculorum ſtagnationes efficiunt febres vehementes, ut phrenitin, lethargum etc. ſpiritus vero, ceterorumque turbationes eas, quae ſunt leviores, facileque ſolvuntur x).

Ut varium febrium intermittentium typum explicet, confugit quoque ad variam corpuſculorum magnitudinem. Typum quotidianum putat fieri maiorum ſtatione corpuſculorum,

tuo e corpore emittuntur. Ex his igitur colligo, forſitan putaſſe Aſclepiadem, vapores illos interceptos (transpirationem ſuppreſſam, ſive alias ſecretiones retentas) efficere, ut facilius oriatur obtruſio, illosque huius eſſe cauſam. Quod ut credamus, ſuadet et tota Aſclepiadis doctrina, et methodus medendi, quam febri oppoſuit, ut ſtatim videre licebit. Hinc neſcio, quid ſit, quo commotus *Sprengel* (Verſ. einer pragm Geſch. der Arzneik. p. 445.) edixerit: „Das Fieber erklärte er durch verſtärkte Ausdünſtung dieſer Atome, wobei es iedoch zu vermuthen iſt, daſz der Referent den Sinn des Bithyniers nicht recht gefaſzt hat„

x) Cael. Aurel. morb. ac. I, 13. p. 42. „Varias, inquit, fieri paſſiones, locorum aut viarum differentia, et non omnes ſtatione corpuſculorum, *ſed certas hoc eſt, phrenitim, lethargiam, pleuritim, et febres vehemementes: ſolubiles vero liquidorum atque ſpiritus turbatione.*„

rum, quae citius faciliusque moveri possunt: typum vero tertianae febris, cum obtrusio facta sit corpusculis minoribus, quorum cursus difficilius restitui potest, quaeque serius exantlantur atque eliminantur: typum denique quartanae, si minutissima in causa sunt, quae difficillime impelli possunt y).

Ex his egregie quoque intelligere possumus, qua in re situm sit secundum Asclepiadis sententiam discrimen inter febres, quae typo continuo et, et eas, quae intermittente incedunt. Omnis res redit ad stagnationem corpusculorum vel leviorem vel vehementiorem: quae si vehementer stagnant, excitant febrem continuam vel continentem: si levior est stagnatio, oritur febris intermittens: si turbantur tantum humores, vel spiritus, leviores sunt febres, quae mox solvuntur z).

Varia decurrunt febres stadia: accrescunt ad summum usque vigorem, et decrescunt. Relevan-

y) Cael. Aur. l. c. „Item typum quotidianum maiorum corpusculorum statione fieri asseverat: Cito etenim inquit ea exantlari atque impleri: tertianum vero minorum statione corpusculorum: Item quartanum, minutissimorum. Difficile enim impleri atque exantlari possunt.„

z) Cael. Aurel. morb. ac. I. p. 3. „quomodo enim febrem illam *vehementem* dixit, cum de causis tractaret, *quae per stationem vel obtrusionem fuerit*; *illam vero solubilem, atque levem, quae ex turbatione fuerit liquidarum materiarum, atque spiritus*, sic etiam phreniticam passionem dixit esse *vehementem*, quae statione vel obtrusione fuerit effecta corpusculorum.„

levantur febricitantes lucis initio, vefpere acceffiones augentur. Natura, inquit, vefperum ob aeris craffitudinem denfata inflat corpora, atque initium generat acceffionis *a*).

Haec funt, quae nobis innotefcunt de corpufculorum obtrufione, et Caelius ipfis Afclepiadis verbis fic loquitur:

„*At quae ftatio corpufculorum, five obtrufio in qualibus, vel ex qualibus corpufculis fiat, atque etiam quomodo ea quae partibus eveniunt, totum commoveant corpus, ac febres generent, in his, quae decimo libro fcripfimus, enodavimus. Nec enim febres inquit, caufae generant, fed febricitare*„ *b*).

Forfitan vero ex aliis, quae ex Afclepiadis doctrina circa febrem comperta habemus, certi quid eruere poffumus circa quorundam fymptomatum exortum atque naturam. Quod attinet ad calorem auctum, qui in febribus fentitur, ad exortum eius in ftatu fano redire debemus. Scimus

a) Ex iis, quae fupra de fomni exortu audivimus, fcimus, accedere eum, fi humores, praecipue fpiritus, ob aerem per totum diem corpus alluentem, craffiores fiunt: fcimus quoque, illos tunc magis tendere ad partes internas. (§. 39. §. 52.) Facile igitur recens oriri poteft obtrufio, atque exinde recens febris acceffio.

b) Afclepiades diftinxiffe videtur *febrem* et *fymptomata* quibus conftituitur, five *febricitare*. Obtrufio eft caufa febricitandi, (quae vox eft *κατηγορία*, *fcriptio five partitio*) febricitatio vero eft caufa *febris ipfius* (*προσηγορία appellatio.*) Vid. Cael. morb. ac. I. p. 4.

mus vero, ſtatuiſſe eius ſedem in minutiſſimis illis corpuſculis quae ſpiritum conſtituunt. (§. 48. not. t.) Ut igitur inde explicet calorem febrilem, ſtatuit maiorem percuſſum atque affricationem corpuſculorum. Nimirum cum materies illa calorifica non ſolum per tenues vias tranſeat, ſed omnibus corporis humoribus (corpuſculis maioribus et minoribus) ſit commixta, (46. not. y.) non poteſt non in febre ex corpuſculorum maiori percuſſione oriri calor auctus *c*).

Contraria ratione explicaſſe videtur frigus ſive rigorem. Nimirum Galenus enarrat, Aſclepiadem, cum omnem febrim per quasdam corpuſculorum in meatibus obſtructiones concitari ſtatueret, febrium differentiam in magnitudine meatuum varia poneret, ex hac in variis meatubus maioribus vel minoribus obſtructione exorta oſtendiſſe etiam quibusdam febribus ſane neceſſario adiunctum eſſe rigorem, quibusdam non *d*).

Iam

c) Cael Aur. morb. ac. I p. 7. „alind cum febribus quidem, ſed ex cauſa obtruſionis membranarum natis, febres oriuntur parvae atque mitiuſculae, *cum in minutiſſimis fiunt plagae ſive percuſſa, atque adfricationes, quae corpori minimum accendere fervorem poſſint.*„ idem p. 8.

d) Galen. de trem. palp. etc. p. 369. T. III. Ἀσκληπιάδης γοῦν οὐ μόνον τὸ θερμὸν, ἀλλ' οὐδ' ἄλλην τινὰ τιθεὶς ἔμφυτον δύναμιν, ἅπαντα πυρετὸν ἐπὶ τισιν ἐμφράξεσιν ὄγκων ἐν πόροις ἀεὶ συνίσχεσθαι λέγων, ἐν μεγέθεσι πόρων τὴν διαφορὰν τιθέμενος αὐτῶν, οὕτω φιλοτεχνεῖ δεικνύειν τισὶ μὲν ἀνάγκῃ ῥῖγος ἐζεῦχθαι, τισὶ δ' οὔ.

Iam ſaepius a medicis obſervatum eſt, febres intermittentes, quae per longum temporis ſpatius corpus vexant, eius compagem tandem diſſolvere adeo, ut tabeſcat, et prorſus emaceſcat. Id quod Aſclepiades quoque compertum habuit, ut Caelius enarrat his verbis: „*ait Aſclepiades quotidianum perſeverantem non ſine periculo eſſe, atque multos ex eo in alium morbum induci, hoc eſt, corporis defluxionem, aut hydropem venire, et quicquid poteſt per corporis debilitatem accedere*„ e).

Quod ſupereſt, pauca hic facere debemus verba de Aſclepiadis ſententia, qua febrem adhiberi poſſe credidit ad curandos nonnullos morbos chronicos, qui pertinaciſſimi corpori inhaerent. Nimirum plures iam et experientiſſimi medici, qui morborum curationi aſſidue navarunt operam, obſervarunt, morbos chronicos pertinaciores interdum omnibus reſiſtere medicinis, nec ulli earum cedere: ſed qualicunque ratione febri ſalutari exorta, ſtatim diſcedunt ex corpore, cuius in intimis repāgulis deliteſcere videbantur. Bene id perceptum ac notum erat Aſclepiadi, qui, ut naturam ducem ſequeretur, hisce in caſibus febrem ſalutarem arte excitare ſtudebat. Sic in paſſione tetanica adhibet clyſteres acerrimos, atque vehementius operantes, ſalutarem putans ex his febrem generari, quo raptus ſive adductio materiae e partibus patientibus ad inteſtina fiat f).

Nunc

e) Cael. Aurel. morb. ac. II, 10. p. 98.

f) Cael. Aurel. morb. ac. III, 8. p. 215. ſupra §. 68. Ex his forſitan colligi poteſt, Aſclepiadem ſibi ſinxiſſe, febrem,

Nunc operae pretium est, paucis differere de medendi ratione, quam generalem oppofuit Afclepiades febribus quamque non tam medicamentis quam victus ratione inftituit g) Cum ftatueret febrem exortam ex corpufculorum obtrufione, nil magis ei erat urgendum, nifi, ut folveret eam: deinde id femper refpiciebat, ut vires aegrotis aut fervaret, aut amiffas reftitueret h) Ut vero circa utramque hanc rationem rite fe gerat, omni cum opera ac diligentia advertit acceffiones ac remiffiones febris. In illis febrim folvere ftudet, in his nutrit corpus. Ut primo curationis fcopo fatisfaciat, alvum ducere iubet, quo detrahatur ac folvatur obtrufio corpufculorum (§. 63.) et ad inteftina pelliceatur. (§. 85. not. f.): propinat potus, quo aut minuat calorem, aut ipfam quoque folvat obtrufionem.

rem, feu potius obtrufionem ex qua profi ifcitur, nifi femper, faepius tamen, iam natura folvi ac eliminari per inteftina. Nam etfi criticos negat dies, tamen criticas evacuationes contendit. (§. 62.) Imitatur igitur naturam, iniicit acerrimos clyfteres, quo pelliceat corpufcula ftagnantia ad inteftina.

g) Celf. III, 4. et fupra §. 64—68.

h) Celf. l. c. „febre vero ipfa praecipue fe ad eius remedium uti, profeffus eft. Convellendas enim vires aegri putavit luce, vigilia, fiti ingenti: fic, ut ne os quidem primis diebus elui fineret. — Is enim ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriae fubfcripfit: primis vero tortoris vicem exhibuit.„ Quae vero Celfi verba utique non fecutum effe Afclepiadem, ex multis elucet Caelii locis, et ad fummum de prima tantum acceffione febris intelligenda, ut ipfe probe advertit Caelius (morb. ac. I, 14 p. 43.) memorat, eo usque fitim perpeti debere aegrotum, *donec pulfus concidat.*

nem *i*). Inter febriles iſtas potiones eminent aqua, ptiſana *k*), alica *l*), lenticula cum beta *m*), hordeum *n*), oryza, hyſſopum *o*), aliaeque id genus res, quae huic propoſito inſerviunt. Simulac acceſſio evaneſcit, dimiſſioque incipit, permittit cibos, qui vero ſunt humidi, aut humori certe quam proximi, utique ex materia quam leviſſima maximeque tenuiſſima *p*). Si recens

i) Cael. Aurel. morb. acut. I, 15. p. 48 ſq. morb. ac. II, 23. p. 132. morb. ac. II, 29. p. 144.

k) Foeſ. Oecon. Hippocr. ſ. v. Plin. H. N. XXII, ſ. 66.

l) Obeſſe videtur Plinius (H N. XXII, ſ. 61.) ſic perhibens: „alica res romana eſt, et non pridem excogitata: alioqui non ptiſanae potius laudes ſcripſiſſent Graeci. Nondum arbitror Pompeii Magni aetate in uſu fuiſſe, et ideo vix quidquam de ea ſcriptum ab Aſclepiadis ſchola.„

m) Quam utramque Graeco nomine Aſclepiades appellavit σευτλοφακῆν. Cael. Aurel. II, 39. p. 175. Vid. Sotio Geoponic. lib. XII, c. 15. Triller. Obſerv. crit. lib. IV, c. 13 p. 381. Foeſ. Oec. Hipp. ſ. v. φακῆ et φακός.

n) Plin. H. N. XXII, ſ. 65. Foeſ. Oec. Hipp. ſ. v. κριθή.

o) Foeſ. Oec. Hipp. ſ. v.

p) vid. loc. ex Caelio citati. — Celſ. III, 4. „Antiqui quam integerrimis corporibus alimentum offerebant. Aſclepiades inclinata quidem febre, ſed adhuc tamen inhaerente.„ Idem l. c „Aſclepiades, ubi aegrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibum deſtinabat„ Idem profert Cael. Aur morb. ac. I, 14. p. 43. Item tempus dandi cibi non dimiſſione perfecta, ſed acceſſionis declinatione dicit.„ Eadem ratione admonet quoque, cibum eſſe dandum tertia et quinta die, vitata die ſecunda et quarta quoniam alternis diebus febris exacerbatur. Cael Aur. morb. ac. II, 22. p. 132. Notandum hic eſt, ex hacce Aſclepiadis

recens advenit accessio, utitur demno descripta methodo, et sic pergit ad perfectam usque febris solutionem. Tunc nutrit ac roborat corpus variis cibis ac vino. (§. 79.)

Id quod cum maxime enarravimus confirmatur ex iis, quae Celsus profert de curatione febris tertianae secundum Asclepiadis doctrinam. „ q) *Ipse* (Asclepiades), *si tertiana febris est, tertio die post accessionem dicit alvum duci oportere, quinto post horrorem vomitum elicere, deinde post febrem, sicut illi mos erat, adhuc calidis dare cibum et vinum* r). *Sexto die in lectulo detineri. Sic enim fore, ne septimo die febris accedat.* „

In fine huius disputationis restat adhuc memoranda rara observatio, quam de febribus intermittentibus malignis Asclepiadi debemus. Notum est febres intermittentes incedere interdum accessionibus soporosis et oppressione capitis comitatas, easque quibusdam locis inesse endemicas. Sic Galenus, et Baglivius, qui Romae artem professus est, referunt, tertianas duplices Romae

clepiadis curandi ratione postea esse exortos cyclos methodicorum, id quod saepius adhuc videre locus erit in tractatione singulorum morborum.

q) Cels. III, 14.

r) Idem nos docet Caelius Aurelianus morb. ac. I, 14. p. 43. „Item in Samothracia clysterem, atque vomitum probat, circa vesperam pridie. Sed in his, qui periodicis typis afficiuntur, vomitum praeponit clysteri. — Typicis vero clysterem et vomitum et vinum Samothracium, atque salsam bibendum inquit.„ vid. sup. §. 66. 68. 79.

Romae eſſe frequentes ac malignas, quorum hic addit gravationem capitis (ſive capiplenium) aeri Romano veluti endemiam. En! et Aſclepiades noſter idem iam obſervavit. Caelius Aurelianus eius obſervationes ſic enarrat: „*apud Romam, inquit, frequentare animadvertimus has febres, (tertianas duplices) cum corporis atque mentis oppreſſione, in ſimilitudine lethargiae, quae ſecundo vel tertio in ſtatu acceſſionis conſtitutae ſtatim recalefacto corpore, vel ceſſante vehementia, in reſumtionem atque reſurrectionem mediocrem revocant aegrotantes. At ſi levi ſigmento ceſſaverint, ſemel apprehenſo aegro nullam reſurrectionem dabunt, ſed in ſudores et reſpirationem celerem, in pulſum febricitantem deſinunt, ac occidunt. Item ſimilia de his ſcribit, et non ſemel, ſed frequenter, dicens certa ratione mentis apprehenſionem typorum in acceſſionibus fieri, atque hoc apud Romam frequentare, dans etiam cauſas, quibus haec ſingula ſiant.*„ s)

Enarrat quoque Caelius, veteres medicos hunc morbum noviſſe quidem, ſed cum lethargo commutaſſe, quem Aſclepiades diverſum exhibuerit eique nomen *catalepſeos* impertiverit t).

„*Medendi rationem tradens ait Aſclepiades, ſi iam tardantibus atque inſidentibus febribus apprehenſiones vel oppreſſiones advenerint ſenſuum, atque in acceſſione vocis ſilentium fecerint, ceteris, ut ſupra diximus, ſimiliter adhibitis, ante acceſ-*

s) Cael. Aurel. morb. ac. II, 19. p. 99.

t) Cael. Aurel l. c. p. 96.

accessionem tribus vel quatuor horis servatis, si venter non fluit, diagridii u) obolum cum tribus vel quatuor obolis castorei dabimus cum aqua: occipitium atque tempora capitis inungentes thapsia v), quam nos ferulaginem dicimus, aqua contrita, ut quendam sensum atque levationem mediocrem per corporis faciat superficiem. Cibos etiam inquit dandos solidiores, nisi praecordia fuerint in tumore constituta: quod si obstiterit, bibiles dabimus cibos.,, x)

Ex eadem Caelii enarratione elucere quoque videtur, suasisse Asclepiadem cuneos immittendos dentibus, quo pateſiant, atque fomentandum caput ſuccis frigidis, ut ſucco hederae y).

PHRENITIS.

§. 84. Caelius Aurelianus in toto morborum acutorum libro primo in phrenitidem inquirit, ibique fuſius quidem, sed non diſtincte ac accurate ſatis, ut nos de his iudicium interponere poſſimus, Aſclepiadis ſententias profert atque explodit. Summa vero diligentia uti debemus, et in hac et in aliis paſſionibus, quas Caelius ſecundum Aſclepiadem enarrat, exponendis. Nam primum ipſe non intellexit doctrinam

u) Plin. H. N. XXVI. c. 39. Diagridium eſt ſuccus tithymali, et inſervit purgando ventri.

v) Plin. H. N. XIII. c. 43.

x) Cael. Aurel. morb. ac. II, 12. p. 108.

y) Cael. Aurel. l. c. p. 109.

trinam Afclepiadeam, ut ex multis evinci poteft. Deinde diiudicat eam, propriis ductus opinionibus. Summe igitur cavere nos debemus, ne iisdem Caelii erroribus implicemur. Itaque ea tantum enarrare nobis propofuimus, quae principiis doctrinae Afclepiadeae iam a nobis expenfae ducti re vera ab eo effe prolata arbitramur. Quae a Caelio enarrantur fectatorum Afclepiadis fententiae, hic plane omittimus, cum ignoremus, quae earum ipfi debeantur magiftro. Nunc Caelium fecuti, eodem ordine hic phrenitidem fecundum Afclepiadis placita explicabimus.

Definitio eius fic fe habet: *phrenitis eft corpufculorum ftatio five obtrufio in cerebri membranis frequenter fine confenfu, cum alienatione et febribus.* Monet Caelius, ipfum Afclepiadem explicaffe hancce definitionem, et in primo libro de celeribus dixiffe, fe propterea in definitione pofuiffe *cum febribus*, quoniam fine his etiam mente alienantur qui papaver, aut mandragoram, aut altercum biberint, aut immenfa ira, aut nimio timore commoti, vel moeftitia etiam compreffi, aut epileptica funt agitati paffione; *fine confenfu* vero dixiffe, ne etiam pleuriticum, vel peripneumonicum phreniticum putaremus, qui in vigore paffionis feptima vel octava die faepe mentis erroribus agitantur.

In capite primo quaerit Caelius an fint figna phreniticae futurae paffionis, quod Afclepiades affirmat. Nimirum fcimus ex antecedentibus, eum in morbis diiudicandis praecipue habuiffe

buiſſe rationem aeris, temporis, cauſarum antecedentium, naturae atque aetatis aegri. (§. 81. 1.) Scimus etiam, eum ſigna morborum diviſiſſe, in neceſſaria, et non neceſſaria. (§. 65.) Hinc non potuit non enarrare quoque ſigna, quae futuram annunciant phrenitim. Quam ſententiam ſectatores eius contra Teſſali obiectiones defendere conati ſunt, ut in Caelio pluribus legi poteſt.

In capite decimo quinto loquitur Caelius de curatione, quam adhibuit Aſclepiades in phrenitide. Legimus ibi, in primo celerum paſſionum libro expugnaſſe eos, qui contraria poſuerunt adhibenda, in ſecundo docuiſſe, quomodo avertenda ſit phrenitis; in tertio, quomodo curanda ſit, cum facta fuerit. Secundum eundem ordinem nunc enarrabimus, quae Aſclepiades dixit.

Reprehendit igitur clyſteres z), reprehendit irim bibendam, et acetum cum melle, et ex ſinapi apophlegmatismum, et tonſuram. Tonſura enim, velut ſtimulo, maior humorum copia allicitur ad caput, magisque conſtringuntur atque tenduntur cerebri membranae: pori et capilli poſt tonſuram craſſeſcunt, atque fortiores fiunt. Quapropter etiam homines, poſt cibum tonſi, tuſſicula atque catarrho, vel lippitudine vexantur. Deinde, ſi lanis caput poſt tonſuram

z) Nullas vero addit Caelius rationes quibus commotus prohibuerit Aſclepiades clysmatum uſum. Nam ipſe adhibenda ea in curatione phrenitidis iubet.

ram tegere curamus, quanto melius fi naturali tegmine capillorum lateat obtectum?

Improbat etiam, in obfcuro loco jacere aegrotantes. In loco enim obfcuro aegri fibimet ipfis nimis indulgent, variisque infomniis atque imaginibus mente alienata fictis vexantur, quoniam nullae res externae in fenfus cadere posfunt; in loco vero lucido impediuntur, quo minus toti fint in fuis imaginibus, quae potius rebus externis debilitantur, ficut nocturni luminis ac funalium flamma fub aetheria luce conftituta, vifi potioris oppreffione languescit *a*).,,

Reprobat etiam venae fectionem. Supra iam vidimus, edixiffe Afclepiadem, phlebotomiam tantum adhibendam effe in illis morbis, qui cum dolore funt coniuncti, five qui ex maioribus ortum duxerunt corpufculis, quae fola venae fectione exantlari poffunt. Phrenitis autem oritur ex minimis corpufculis in membranarum cerebri anguftiis obtrufis *b*). Nocet igi-

a) Celf. III, 18. ,,Fere vero antiqui tales aegros in tenebris habebant, eo, quod iis contrarium effet exterreri, et ad quietem animi tenebras ipfas conferre aliquid iudicabant. At Afclepiades, tanquam tenebris ipfis terrentibus, in lumine habendos effe dixit.,,

b) Nimirum praecipue infignitur phrenitis mentis alienatione, quae fecundum Afclepiadem eft paffio in fenfibus. Hi vero nituntur corpufculis minutiffimis, quae venae fectione eliminari non poffunt. (§ 48. not. f. et §. 69) Colligo id ex Caelio morb. ac. p. 6. ubi dicit: ,,Omnis phrenitidis

igitur phlebotomia in phreniticis. Nimirum phlebotomati animi defectu, atque corporis frigido torpore afficiuntur, aut vocis defectum aut mentis alienationem sustinent. Detrahitur enim quidem materies maiorum corpusculorum, passionis vero causa, sive materies minimorum corpusculorum remanet, reliquus sanguis crassificatur, atque oritur corporis algor; spiritus, sive fervor fertur ad cerebri membranam, hincque geminatur statio corpusculorum atque alienatio *c*). (§. 69.)

In avertenda passione mentisque alienatione respicit Asclepiades inprimis numerum die-

 rum

nitidis causam vel substantiam, alienationem generaliter: communiter autem alienationis substantiam in sensibus constitutam, existimavit Asclepiades. Denique in diffinitionum libris alienationem diffiniens, hoc genere explicavit: *alienatio est passio in sensibus.* „ Supra §. 69 not. probare studui, Asclepiadem, cum diceret in illis tantum morbis venae sectionem locum habere, quibuscum dolores essent coniuncti, forsitan intellexisse dolores inflammatorios. Subit mihi in mentem, forsitan his nil aliud dicere voluisse, quam, in illis morbis, ubi aeger nullos sentit dolores, mentem laborare alienatione, quae nullam permittit phlebotomiam, cum corpuscula minutissima, quae tunc affecta sint, venae sectione emitti non possunt. In illis vero morbis, ubi sanguis (corpuscula maiora, quae venae sectione emittuntur) affectus est, sentit aeger dolores ob consensum, mens vero ipsa (corpuscula minutissima) nulla laborat labe.

c) Aliud argumentum profert Celsus l. c. „Asclepiades perinde esse dixit, his sanguinem mitti ac si trucidentur: rationem hanc secutus, quod neque insania esset, nisi febre intenta: neque sanguis nisi in remissione eius recte mitteretur.„

rum, atque acceſſionis et dimiſſionis dies. Primo primi diatriti die ſuadet dare pauxillum cibi, atque expectato febris ſtatu, propinare ptiſanam vel hordeum, vel alicam, vel lenticulam cum beta, vel his quicquam ſimile, coniiciens, ſolam ex his dandi novitatem prodeſſe, nec habendam rationem, quid iſtorum debeamus offere, ſed voluntati aegrorum permittendum, quid velint eligere *d*); altero die, ſi febricula perſeverat, exantlare obtruſiones, et requiem corporis adhibere, aquam propinare, ſed non plus quam bis in die, usque ad heminam, vel duas, et hunc modum etiam noctu ſervare. Primo ſecundi diatriti die monet, transacto acceſſionis augmento, dare quicquam de praeſcriptis ſorbilibus, altero die, declinante febricula, uti ſorbili cibo; perſeverante vero febre rurſum abſtinere, et praeterito ſimile tertium imitari diatriton. Tunc ſeptimo die iam utitur pane atque piscibus et vino: ſolvitur enim, inquit, paſſio tertia ſaepe periodo *e*).

Ipſam phrenitidis curam duplicem exhibuit Aſclepiades: nimirum tutam, ſive *non meticuloſam* ac multis phreniticis aptandam: aliam *periculoſam* atque *vehementem*, quam φιλοπαράβολον appellavit, quarum priori medendi ratione utens praecipue quaerit an aeger iam ab aliquo ſit curatus, nec ne? Quod ſi nondum ſit factum, utitur odoramentis, caſtoreo, peucedano, ruta et aceto, vel ex his infuſo liquore, et

d) Notandum hic eſt, ex his tantum potionibus variis, quas ipſe propinat, eligere permiſiſſe aegrotis.

e) vid. quae de hacce curandi methodo per triduum ad notavimus §. 83. not.

et clystere detrahendae obtrusionis causa. Sin vero alius medici iam sit expertus medelam statim primo ingressu prohibet unctionem, cataplasma atque odoramentum, ad lucem ex umbra transmutat aegrotum, sternutamentum etiam adhibet, mulsum dat aestate quater, hyeme bis quotidie *f*), dimidiam heminam in singulis potionibus, sed coquatur antea necesse est mel, ne cita atque fluxa fiat alvus. Tunc veniente nocte ad domicilium mediocre scandendum, atque plurimus vel apertus aer fugiendus: dehinc si aliqua fuerit accessio, vel articulorum stupor, his cessantibus dat quicquam de praescriptis sorbilibus: si autem absque remissione permanserint febrium signa, statim vespertino tempore, oleo totum corpus perungit, caput etiam atque collum rosaceo, atque dat sorbilem cibum, tunc ad largiendum somnum, sufficiens erit motus, baiulatoria sessione adhibitus, quia mox aegros demulcit et mites reddit *g*). Aliqui denique plure-

f) Cels. l. c. „Opus est autem cibo infirmo, maximeque sorbitione, potione aquae mulsae, cuius ternos cyathos bis hieme, quater aestate dedisse satis est.„

g) Celsus l. c. refert frictionem hunc ad finem suasisse Asclepiadem. „Si nihilominus vigilant hi, quidam somnum moliuntur potui dando aquam, in qua papaver aut hyoscyamus decocta sint. — Plurimi decoctis papaveris corticibus, ex ea aqua subinde spongia os et caput fovent. Asclepiades ea supervacua esse dixit, quoniam in lethargum saepe converterent. Praecipit autem, ut primo die a cibo, potione, somno abstineretur, vespere ei daretur potui aqua, tum frictio admoveretur lenis, ita ut ne manum quidem, qui fricaret, vehementer imprimeret: postero deinde die iisdem omnibus factis, vesperi ei daretur sorbitio ex

phreniticorum dirarato corpore motus caufa, deficiunt. Quapropter nocte magis atque poft cibum geftationem convenit adhibere *h*). (§. 72.)

Curationem *periculofam* ita compofuit, ut omnia, quae adhiberet, fere nil differrent a priori curandi ratione, excepto vino, quod, fi requirit omnino paffio, pro melle circa vesperam propinat: fin minus, *primo ingreffu ftatim*, atque *plurimum*, et *extentum*, h. e. *meracum* et *falfum* dat *vinum*, quod appellavit τεθαλασσωμένον. (§. 79.) Putabat nimirum quae exigua redundarent emolumenta ex forbilibus et mulfo, maiora profectura ex vino. Etenim ex illo per totum corpus currente, atque fenfum inurente tanquam ex cautere oritur fervor plurimus, atque pulfus erectio, fudor colliquativus mitigatur *i*).

LETHARGVS.

§. 85. Afclepiades ipfe nullam hocce de morbo exhibuit definitionem; fed Alexander Lao-

ex aqua rurfusque frictio adhiberetur. Per hanc enim nos confecuturos, ut fomnus accedat. Id interdum fit, et quidem adeo, ut illo confitente nimia frictio etiam lethargi periculum afferat.,,

h) Celf. l. c. „confert etiam aliquid ad fomnum geftatio poft cibum et noctu.,,

i) Haud dubie fub hac curatione periculofa intelligenda eft ea phrenitidis malignae, in qua advertuntur pulfus languidius, fumma proftratio virium, cum humorum colliquatione.

Laodicenſis, diſcipulus eius, ſecundum ipſum ait *lethargum* eſſe *ſubitam*, vel *recentem paſſionem cum ſebribus*, et *preſſura*, atque *ſenſuum iugi difficultate k*).

Pulſum atque reſpirationem pleniorem et *tardiorem* eſſe lethargis quam phreniticis: ſiquidem habet magnitudinem et percuſſum fortiorem, tanquam iugi ſomno dormientium.

In primo celerum paſſionum libro dixit phreniticos a lethargicis in eo differre, quod illi alienatione cum turbore laborant, hi vero cum ſomno atque triſtitia. Quidam Aſclepiadis ſectatores etiam differentias lethargorum tradunt. Alium enim per ſe dixerunt, alium ex antecedenti paſſione ut phreniti: atque ex ipſa venientem eſſe graviorem: alium eſſe recentem, alium inveteratum atque tardantem, quod ex numero dierum coniici dixerunt: et alium fieri cruditate ac plenitudine affecto corpori: alium inani atque paſſione macerato *l*).

Aſclepiades primo libro de acutis paſſionibus ſcribens, multa dicit adhibenda lethargicis, quae phreniticis ſunt imperata. Studet etiam iugiter demerſos excitare ſternutamentis, et odoramentis, caſtoreo, ruta et aceto, ſpondylio *m*), conyza *n*), et agno *o*), herbis: baccas

 etiam

k) Cael. Aurel. morb. ac. II, 1. p. 78. ſq.

l) Cael. Aurel. l. c. cap. 5. p. 80. ſq.

m) Plin. H. N. XXIV. ſ. 16. „Spondylion — infunditur capitibus phreneticorum et lethargicorum„

n) Plin. H. N. XXI. ſ. 32.

o) Plin. H. N. XXIV. ſ. 38 „ſemen inſtillatur in oleo decoctum capiti in lethargia et phreneſi.„

etiam lauri, vel omne ſuadet, quod tenuare atque movere vehementer membranas valeat cerebri. Jubet etiam ea adhibere quae epilepticis, vel matrice praefocatis adhibuit odoranda, lanam, vel capillos aut cervi cornu, vel galbanum, carbonibus impoſita: et omnia, quae caput gravare valent, vel iniucunda ſunt odoranti *p*). Omnium putat praeſtantius atque operantius eſſe ſinapi tritum cum aceto admixto, atque hinc caput cataplasmandum et dandum manibus, quod excitet aegrotantem *q*). Potum dat bis in die, vel ter, et veniente nocte offert velut phreniticis vinum, vel eo audacius *r*). Etenim, inquit, accedere ex vino furor phreniticis poteſt, lethargicis vero nunquam. Siquidem ſunt omnes ſenſus apprehenſi, atque mentis vigor oppreſſus.

PLEV-

p) Celſ. III, 20. „Hos aegros quidam ſubinde excitare nituntur, admotis his, per quae ſternutamenta vocantur, et his, quae odore foedo movent, qualis eſt pix cruda, lana ſuccida, piper, veratrum, caſtoreum, acetum, allium, cepa, iuxta etiam galbanum incendunt, aut pilos aut cornu cervinum. Si id non eſt, quodlibet aliud. Haec enim cum comburuntur, odorem foedum movent.„ Plin. H. N. XX, ſ. 20, memorat, cepa excitari lethargicos autumaſſe Aſclepiadis ſcholam.

q) Celſ. l. c. „praecipue proficit et ad excitandum hominem naribus admotum, et ad morbum ipſum depellendum capiti frontive impoſitum ſinapi.

r) Celſ. l. c. „Vinum quoque cum tempeſtivo cibo datum, non mediocriter adiuvat.„

PLEVRITIS.

§. 86. Asclepiades in libro diffinitionum, *pleuritim dicit esse humoris fluorem s) temporis parvi, atque celerem interiorum lateris partium, cum febre, atque tumore t).*

Cum Diocle et Erasistrato in eo consentit, quod pleura, quam ὑπεζωκότα vocant membranam, latera et interiora cingens, sit locus affectus u).

Ex secundo celerum passionum volumine patet, Asclepiadem phlebotomasse pleuriticos; tamen vero id semper respiciebat, utrum regio, ubi commorantur aegroti, permitteret phlebotomiam, nec ne. Se enim vidisse testatur apud Athenienses atque Romanos phlebotomatos male se habentes atque vexatos pleuriticos: in Pario vero atque Hellesponto resumtos ac relevatos. (§. 69.) Prohibet etiam clysmata iniicienda: et si vere requirirentur deducendi ventris causa, adhibenda suadet semel vel bis. Prohibet etiam sitim, vel ante cibum bibere. Potum dat magis ac plurimum mulsum, aliquando etiam et rutam et hyssopum cum mulso. Nocere

s) *Humoris fluor* sive *rheumatismus* secundum Asclepiadis sententiam est, cum in morbis emittuntur humores per varias vias excretorias. Hinc pleuritis est humoris fluor, ob sputa aucta. Eadem ratione cholera est humoris fluor, quoniam vomitu et deiectione humores eliminantur. Vid. Cael. Aurel. morb. ac. III, 19. p. 254.

t) Cael. Aurel. morb. ac. II, 13 p. 111.

u) Cael. Aurel. l. c. cap. 16. p. 115.

cere inquit radicem herbae, quam Graeci phlomon *v*) vocant, quapropter omnino dandam negat, vel ad summum, ubi dolor coegerit. Cibum putat dandum, vitata secunda die, siquidem alternis febris exacerbatur diebus: et quarta, siquidem gravior fit: verum quinta et tertia dat ptisanam, et ut saepe sufficiens, probat semel quotidie dandam. At si plus defecerint aegri, nutriendos etiam post accessionem quintae diei permittit: declinante passione vinum dat, et varium cibum *x*).

PERIPNEVMONIA.

§. 87. Asclepiadis sectatores aiunt esse *peripneumoniam parvi temporis solutionem cum tumore atque febre: solutionem*, inquiunt, ob humorum emissionem *y*): *parvi temporis*, ut diversa exhibeatur a phthisica passione, quae est et ipsa solutionis vel effluentis humoris per tussiculam exclusio. *Peripneumonia* inquiunt ad discretionem aliarum passionum, parvi (ut supra diximus) temporis solutionem ingerentium, ut oculorum vel aurium: adiecerunt etiam cum *tumore* atque *febre*. Siquidem *solutio*, hoc est, eruptio parvi temporis ad pulmonem, fiat peripneumonia ad eas partes sine febribus *z*).

Ascle-

v) Plin. H. N. XXV. s. 73. et 74.

x) Cael. Aurel. morb. ac. l. c. cap. XXII. p. 131. sq.

y) vid. § 86. not. s.)

z) Cael. Aurel. morb. ac. II, 26. p. 137.

Asclepiades putat, in peripneumonia eas pulmonis partes pati, quae asperae arteriae sunt adhaerentes, quas appellant bronchia *a*).

Putat Asclepiades, plurimos peripneumonicos, quibusdam exceptis, nullo affici dolore *b*). Hinc etiam phlebotomiam recusat; siquidem, si adhiberetur ex initio, sanguis tenuis atque subtilis exiret. (§. 69.) Prohibet etiam cataplasmata et vaporationes; reprobat clysteres, atque omnia medicamina purgantia. — Dat cum aqua mulsa hyssopum, vel tragoriganum. — Mitescente inquit passione, cataplasmata adhibenda, atque cibis, asperioribus diebus, nutriendos aegrotantes existimat *c*).

CARDIACA PASSIO.

§. 88. Asclepiadis sectatores aiunt esse *tumorem secundum cor, corpusculorum coacervatione sive obtrusione effectum* *d*).

Lis est utrum cardiaci febricitent nec ne quod alii affirmant, alii negant. Asclepiades in libris, quos contradictorios ad Erasistratum fecit, contendit, plurimos cardiacos non febricitare. Nam secundum eum febris est, fervor plurimus in omnibus, sive plurimis corporis partibus,

a) Cael. Aurel. l. c. cap. 28. p. 139.

b) Cels. IV, 7. „Id genus morbi plus periculi quam doloris habet.„

c) Cael. Aurel. l. c. cap. 29. p. 143 sq.

d) Cael. Aurel. morb. ac. II. 31. p. 146.

bus, commutatione pulſus in vehementem, ob obtruſionem facta. (§. 83.) At in cardiacis neque maior eſt pulſus, ſed magis humilis: neque vehemens, ſed magis imbecillus: neque fervor plurimus, ſed magis in aliis corporis partibus parvus, in mediis omnino leviſſimus. — Veruntamen in ſecundo libro acutarum paſſionum ait non ſemper, ſed frequenter cum febricula fieri hanc paſſionem *e*).

Praepati in cardiacis Eraſiſtratus et Aſclepiades cor dixerunt; aiuntque ſe ipſo nomine morbi iuvari; cum ideo cardiaca paſſio dicatur, quod ex corde orta ſit. Nam καρδίαν Graeci cor vocant. Deinde confirmant ſententiam eo, quod cordi, in ipſa paſſione conſtitutis, ſaltus ineſſe videatur, atque in ſiniſtra parte, ſecundum papillam, thoracis gravedo. Deinceps adiuvantur ipſius paſſionis magnitudine, quae fieri non poſſet, niſi quaedam corporis pars principalis ſit affecta. Eſt autem cor praeſtans atque ſalutaris corpori particula, miniſtrans omnibus ſanguinem membris, atque ſpiritum. (§. 48. not. f.) *f*).

Aſclepiades ait, cardiacos atque eos qui ſtomachi imbecillitate laborant in eo differre, quod in cardiacis pulſus ſit parviſſimus, atque imbecillus, cordis vero ſaltus maior, et vehemens cum gravedine thoracis, atque ſpiratione praefocabili: in his vero, qui ſtomacho deficiunt patiente, validus in ceteris arteriis pulſus, cordis vero

e) Cael. Aurel. l. c. cap. 33. p. 150.

f) Cael. Aur. l. c cap. 34 p. 154.

vero saltus imbecillus invenitur, exceptis ceteris symptomatibus, quae in utraque passione diversa sunt *g*).

In secundo libro celerum passionum suspicatur, nequa sit in corpore cruditas: hinc clysteres adhibet operantissimos, ob revulsionem faciendam. (§. 68.) Post iniectionem adhibet cataplasma sinistrae mamillae constrictivae virtutis: sed corpus, ob excludendum frigidum torporem, calefaciendum probat unctionibus olei veteris, ac defricandum manibus calidis, et pannis circumtegenda loca, ex quibus calefactiones atque unctiones superioribus dictis excludendas asseruimus. Constrictiva vero cataplasmata non solum sinistrae mamillae erunt apponenda, sed omni pectori atque praecordiis.

Jubet etiam dari vinum noctu, interdiu atque iugiter: sed id vinum, cui sal admixtus est et quod appellavit τεθαλασσωμένον. Cito enim, inquit, currit ac labitur, et ad omnia corporis membra pervenit. (§. 47.) Cibum dat betam cum lenticula, quam appellavit seutlophacen, vel lenticulam cum ptisana, aut oryza, aut alica, vel aliqua ex maritimis et quid ultra inquit? ea nos dare convenit, quae aegri fuerint voluntati gratissima *h*). Probat autem dandum vinum

g) Cael. Aurel. l. c. cap. 35. p. 156.

h) Sed nota hic, quae Celsus (III, 6.) hac de re dicit: „ponendi vero aegro varii cibi (sicut Asclepiades praecipit) tum demum sunt, ubi fastidio urgetur, neque satis vires sufficiunt, ut paulum ex singulis degustando famem vitet.

vinum poſt cibum, ne nimis cito inteſtina percurrat. (§. 79.) Jubet etiam meracum non mixtum dare. Hac enim ratione, inquit, exuſtae viae, tanquam exigue conductae ſudorem retinent. Nil notum eſt, an propinarit vinum frigidum vel calidum. Cum vero in libris, quos de lue ſcripſit, Cleophanti ſectatores accuſaret, quod frigidum darent, vero ſimile eſt, ipſum ſuaſiſſe calidum. — In fine huius curationis deſcriptae addit tandem Caelius: *hic eſt ille Aſclepiades frigidans atque calefaciens, exantlans atque replens, et contrariis ſemper utens rebus in his paſſionibus i).*

SYNANCHE.

§. 89. Hanc paſſionem definiens Aſclepiades in ſecundo libro explanatorio aphoriſmorum Hip-

vitet. At ſi neque vis, neque cupiditas deeſt, nulla varietate ſolicitandus aeger eſt, ne plus aſſumat, quam concoquat.,, vid. §. 84. not.

i) Cael. Aurel. morb. ac. l. c. cap. 39. p. 174. ſq. Veroſimile mihi videtur, Celſum (III, 19.) curationem morbi cardiaci plane ſecundum Aſclepiadis mentem deſcribere. Dicit hunc morbum nil aliud eſſe, quam nimiam imbecillitatem corporis, quod ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur, pulſus eſt languidus et imbecillus. Sudor autem ſupra conſuetudinem, et modo et tempore, ex toto thorace et cervicibus atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo et cruribus ſiccioribus atque frigentibus. At ubi id genus morbi eſt, curatio prima eſt, ſupra praecordia imponere, quae reprimant cataplasmata: ſecunda, ſudorem prohibere. Tertium auxilium eſt imbecillitati iacentis vino ciboque ſuccurrere. Hac ratione ſingula curationis contuliſſe neminem poenitabit.

Hippocratis, *ſynanche*, inquit, *eſt humoris fluor, ſive humectatio faucium, vel ſummitatis ipſarum, ſaepiſſime ex capite accidens* k).

Aſclepiades in ſecundo libro celerum paſſionum ſynanchicis ſanguinem detrahit atque ventrem depurgat et cataplasmata adhibet et oris colluiones et gargarismata, et ſuper unctiones tenuabiles atque aperibiles, ex hyſſopo, origano, et thymo, meliloto, abſynthio, fici coctione, nitro, ſtaphide agria, centaurea, elaterio, felle taurino, cedria, ſuadet etiam cucurbitae uſum cum ſcarificatione. Negat quidem quicquam poſſe ſanguinis elici, ſive, quod cum febribus ſit paſſio, ſive, quod maior cauſa ſit tumentium partium, quae contrario raptu ſuperet cucurbitae fervorem, ut non poſſit efficere detractionem. Tum phlebotomiam probat ex fronte faciendam, vel angulis oculorum, vel venis, quae ſub lingua ſunt, vel e brachio. (§. 69.) At ſi maior fuerit paſſio, ſcarificandae ſunt fauces, hoc eſt, tonſillae, et partes ſupra uvam conſtitutae: etenim ſummi auxilii eſt in his aequalis ſive par inciſura, quam appellavit homoiotomiam. Deinde a veteribus probatam approbat arteriae aſperae diviſuram, ob reſpirationem faciendam, quam laryngotomiam vocant l).

SPAS-

k) Cael. Aurel. morb. ac. III, 1. p. 181.

l) Cael. Aurel. l. c. c. 4. p. 193. Celſ. IV, 4. Galen. introd. p. 381. T. IV.

SPASMVS.

§. 90. Sermo hic eſt de diſcrimine, quod intercedit inter ſpasmum ac tremorem; et ſecundum Aſclepiadem *extenſio* atque *conductio* partium tarda ac perſeverans eſt: *ſpasmus* vero breviſſimi temporis, et celerrimi *tremor m*).

Aſclepiades in ſecundo libro celerum paſſionum praecipit, incipiente dolore tetanicos aqua calida fomentandos eſſe nocte atque die, deinde ſaccellis ex milio confectis fovendas, vel cachry vel ſalibus. Putat quoque aridas vaporationes operantius mederi, quam cataplasmata. — Convenit etiam, inquit, cataplasma ſimplex, quod ὠμὴν λύσιν *n*) appellant, pueris atque mulieribus et viris, quorum corpora ſunt laxa ac tenera. (§. 81.) — Adhibet etiam clyſteres acerrimos, ſalutarem putans ex his febrem generari, quo raptus, ſive adductio materiae e partibus patientibus ad inteſtina fiat. (§. 68. §. 85.) Probat etiam vapores calidiſſimos, iubens ſaccello ſale pleno aqua calida tincto partes, quae patiuntur, vaporari: tunc duobus cauteribus alternis ſales incendi, ut ex ipſis invadens quaedam ſpiratio penetret altiora. — Ignem plurimum accendens, et ſuperponens aegrotantem, omnes ſpondylos ſpinae oleo per diem atque noctem iugiter fricat. (§. 71.) Ait quoque cucurbitam utilem magis quam phlebotomiam huic probari paſſioni, niſi febres prohibuerint materiae per cucurbitulas detractionem: vel in venis plurima

m) Cael. Aurel. morb. ac. III, 7. p. 208.

n) vid. Lex. Coelian. ſ. v.

ma fuerit plenitudo. Tunc enim erit phlebotomia adhibenda in ipſa vehementiae ſummitate. Difficile enim inquit detractionem fieri corpuſculorum poſſe tempore dimiſſionis. (§. 69.) Declinante paſſione aegrotantes nutrit, ſuccis et ſorbilibus cibis *o*).

ILEVS.

§. 91. Aſclepiades in tertio libro acutarum paſſionum hoc modo definivit hunc morbum: *Tormentum eſt contortio extenta, atqui longi temporis inteſtinorum p*).

In tertio libro celerum paſſionum aliqua gratiſſima, aliqua valentia adhibenda iubet remedia, in quibus eſt etiam inhibitio vaporationum ex aqua calida, tanquam facile frigentium: ſed fricandas inquit partes, quae patiuntur, oleo plurimo tempore, atque operoſe, quantum loca ipſa pati potuerint: (§. 71.) fugienda inquit etiam declinationis tempore lavacra *q*).

CHOLERA.

§. 92. Aſclepiades in libro de finibus hanc paſſionis definitionem dedit: *Cholera eſt humoris fluor, celer, ac parvi temporis, ventris atque inteſtinorum, ex concurſu ſive obtruſione corpuſculorum,*

L 2

o) Cael. Aur. l. c. cap. 8. p. 214. ſq.

p) Cael. Aurel. III, 17. p. 235.

q) Cael. Aurel. l. c. p. 243. Celſ. IV, 13.

lorum, atque ut ſaepe contingit, ex indigeſtione initium ſumens r).

Molitur vomitum ex rapaci hauſtu transvoratis potionibus, eodem die lavat aegrotantes, et vinum propinat cum potulenta: plurima approbat veterum curationum, ſolum prohibens, eo die lavandos eſſe, niſi vires fuerint reparatae s).

VENTRIS FLVXVS.

§. 93. *Defluxio* eſt ſecundum Aſclepiadem *rheumatismus*, ſive *fluor parvi temporis* (§. 86. not.) *ultimarum partium coli atque ſeſſionis, ſive longanonis t), ut nos appellamus, quae fit, inquit, ex conventu ſive concurſu atque congreſſu corpuſculorum.* (ἔντασις.) *u*). Ex Celſo *v*) ſcimus, ſuaſiſſe Aſclepiadem frigidas potiones. (§. 77.)

EPILEPSIA.

§. 94. Aſclepiades ad cauſas epilepſiae numerat percuſſum atque diviſuram membranarum,

r) Cael. Aur. morb. ac. III, 19. p. 235.

s) Cael. Aurel. l. c. p. 263. Celſ. IV, 11.

t) inteſtini recti. Vid. Du Cange Gloſſar. med. et infin. latin. ſ. v. Lexic. Coelian. ſ. v.

u) Cael. Aur. morb. ac. III, 22. p. 265.

v) Celſ. IV, 19.

rum, quae cerebrum tegunt, aut nimium timorem *x*).

In primo acutarum passionum libro eos, qui corporis raptu afficiuntur, solos imperat phlebotomari. — Phlebotomatis iniici iubet clysterem, vel collyrium, quod balanon appellant, odoribus tetris adhibitis, (§. 85.) et fumationibus, et aceto, quod naribus iniicitur, atque volutatione in sindone peracta. Prohibet carnales cibos, et vinum, sed iubet venerem *y*).

MANIA.

§. 95. Scimus iam ex iis, quae (§. 80.) enarravimus, Asclepiadem in curatione huius morbi magni fecisse musicen. Tradit deinde Caelius, Titum, eius auctoritate ductum, suasisse flagellis coercere maniacos, atque Themisonem post venae sectionem, constrictivis fomentis eos curasse, nec neglectis balneis, vino plurimo, atque amore: *quae vero magis Asclepiadi quam Themisoni sunt adscribenda, nondum enim sese eius liberaverat secta cum sic haec ordinasse perspicitur* *z*).

PARALYSIS.

§. 69. Asclepiades de paralysi nihil scripsit, sed contra Erasistratum contendit, eos qui non

x) Cael. Aurel. morb. chr. I, 4. p. 291.

y) Cael. Aurel. l. c. p. 321. sq. Cels. III, 23.

z) Cael. Aurel. morb. chr. I, 5. p. 339.

non gravi dolore in iſta paſſione afficiantur, phlebotomandos non eſſe. Eos vero, qui privati ſenſibus peiore ſtrictura vexantur, abſtinendos primum, tum initiandos *a*) probat. — Adhibet etiam purgativa medicamina, quae Graeci cathartica vocaverunt. — Sed iis, quibus a laxatione paralyſis eſt adurentia inquit medicamina convenire et fomentationem parvam. — Praeterea ſuadet in arenae ſpatio deambulationem, et quod appellant ſcamma, atque transcenſum lignorum (§. 74.) et inter plurimum tempus bibendum vinum *b*).

CATARRHVS.

§. 97. Antiquiores medici, in quibus eſt Eraſiſtratus, Themiſon et Aſclepiades in tertio celerum, in morbis chronicis meracum potum dari iuſſerunt. Ait enim Aſclepiades duplicandam vel triplicandam quantitatem vini ſolitae temperationis, adeo, ut uni cyatho unum admiſceri iuſſerit, quo vini et aquae quantitas coaequetur. Sed hoc facit in tardante paſſione. Etenim recentem atque novam curans in libris, quos ad Geminium ſcripſit, ſalutarium, vinum prohibendum tradidit. (§. 79.) *c*).

HAE-

a) phlebotomandos. Alii inaniendos, ut monet Amman. in margine ad h. l.

b) Cael. Aurel. morb chr. II, 1. p. 364. Celſ. III, 27.

c) Cael. Aurel. morb. chr. II, 8. p. 385. ſq. Celſ. IV, 2.

HAEMORRHAGIA.

§. 93. Rationes, quibus ſanguis praeter naturam e corpore prorumpit, duas poſuit Aſclepiades, eruptionem ac putredinem: anaſtomoſin negat *d*).

Eorum, qui ſanguinem expuunt difficile curabiles putat ſucculentos, atque carnoſos, ob vehementiam ſpirationis: eadem ratione etiam aetates medias et pueros; celerius etenim inquit ſpiritum ferri, et in ſputis perficiendis offenſione carnium retardari *e*). Nonnulli ſupinos iubent aegrotantes iacere, vel ſuper eas partes, quae non patiuntur: alii contrarium ſibi perſuaſum habent. Sic Aſclepiades, quod ad iacendi ſchema adtinet, putat aegrotantes eſſe locandos ſupra partes, quae patiuntur: nimirum cum ſcribat, neceſſario eſſe curationes, adprehenſa cauſa, inſtituendas etiam ſanguine, iubet, fluentes ita eſſe locandos. — In libro, quo de clyſteribus ſcripſit, approbat phlebotomiam, atque dicit *evacuandas eſſe venas, quo ex ant late, celeriusque concedant atque coeant diviſurae f*), ad minuendum ſanguinis curſum, ſive ſpirationem, quibus paſſio peior evadit *g*).

d) Cael. Aur. morb. chr. II 10. p. 390.

e) Cael. Aur. morb. chr. l. c. cap. 12. p. 396.

f) Haud dubie Aſclepiades voluit denotare amplas, quae in venas ſecantur, diviſuras, quo celerius emitteretur ſanguis, atque ideo ſanguinis curſus ac reſpirationis vis facilius mitigaretur.

g) Cael. Aurel morb chr l. c. cap. 13. p. 415.

Erafiſtratus probat ligationem articulorum, maxime inguinum et alarum. Aſclepiades vero ad eum ſcribens, libros paraſceuaſticos ligationem renuit, eamque Eraſiſtrato haud congruam probat, cum oſculari non poſſint ſub diſcrimine, quod Graeci diaphragma vocant, venulae vel miſceri quae ſupra diaphragma eſſe videntur *h*).

Eraſiſtratus probat conſtricta cataplasmata: quae Aſclepiades reſpuit, cum materiam reprimant, in altum propellant. — Geſtationem in haemoptoicis prohibet. (§. 72.) *i*).

STOMACHICA PASSIO.

§. 99. De hoc morbo nil aliud Aſclepiades enarravit, quam Praxagorae famulum ternos bilibres panes per ſingulos dies accepiſſe quibus comeſtis non aliter paſſione affectum fuiſſe, quam ſi nihil accepiſſet *k*).

HYDROPS.

§. 100. Aſclepiades alium *celerem* dixit, ut eum, qui repente conſtituitur: alium *tardum*, ut

h) Celſ. IV. 4. „Eraſiſtratus horum crura quoque et femora, brachiaque pluribus locis deligabat. Id Aſclepiades adeo non prodeſſe, ut etiam inimicum eſſet, propoſuit.„ Totus perlegi debet locus Celſianus, quo melius intelligatur Aſclepiadis oratio.

i) Cael. Aurel. morb. chr. I. c p. 416. 17.

k) Cael. Aur. morb. chr. III. 2. p. 436.

ut eum, qui tarda passione vexat: et alium *cum febribus*, alium *sine febribus l*).

Magni fecit paracentesin, quam diligenter describit. Etenim post eam peractam fistulam relinquendam putat. — Repentinam effusionem atque coadcervatam cum periculo fieri testatur: nimirum viae, quas Graeci poros appellant, interiecto humore blando se tactu contingunt, et propterea illaesi advertuntur aegrotantes: detractione autem facta liquidorum, aspero se tactu contingunt, atque concidentes angustantur: ac simili ratione etiam spiritus vehementer irruens carni dolorem creat, atque inflationem, et tormenta intestinorum. — Post perfectam humoris detractionem utitur abstinentia *m*).

In libro, quo de hydrope scripsit, parvo humore collecto, sive plurimo, nondum tamen pedibus aut cruribus affectis, athletarum regulam adhibendam putat, et plurima deambulatione, atque cursu et defricatione retento spiritu discutit humores (§. 71.): tunc suadet panem diligenter elaboratum, atque exercitum, cum piscibus natura duris. At si inferiores occupaverit partes, plurimos prohibet motus, et medicamina quae ex intestinis et viis uriniferis humores emittunt. Utitur paracentesi sed, ut ex angusto atque parvo foramine latices fluant, iubet. In leucophlegmatia vero fricationes adhibet et cataplasmata frigerantia ex malo cydonio,

 et

l) Cael. Aurel. morb. chr. III, 8. p. 469.

m) Cael. Aurel. morb. chr. l. c. p. 478 et 480.

et murra, et vitis anulis, quos ἕλικας vocant, et malo punico, et lenticula, et herbo, atque pulento veteri, et alumine vel ruta et bulbo et melle et origano et thymo et nitro et caricis: et ex veficis illifionem adhibendam probat. Laudat etiam punctionem quatuor digitis a talo diftantem, faciendam fuperius, ab interiore parte, ficut in phlebotomia fervatur, ut per eandem punctionem humore effufo corpora releventur: fi minus, fcarificatione altiore utitur, fcilicet vehementiori atque efficaci adiutorio, nec timet vulnerationes, quae neceffario in huiusmodi paffionibus difficultates in curatione creant *n*).

De hac fcarificatione vero multis ac difertis verbis loquitur Aetius, et profecto neminem poenitebit, totum illum locum hic typis repetitum legere, cum plane fecundum Afclepiadis mentem defcriptus fit *o*):

„*Omnibus praedictis efficacius auxilium in hac hydropis fpecie chirurgia praeftat, Afclepiade auctore. Fiffuras autem circa internum talum infligere oportet in loco quatuor digitorum fpatio fupra talum eminente, ea profunditate qua quis in venae fectione utatur. Pauco enim fanguine in principio evacuato, per reliquum tempus indefinenter*

n) Cael. Aurel. l. c. p. 489. Celf. III, 21. Dignus eft locus Celfianus, qui totus perlegatur, quo melius hydropis curatio Afclepiadea intelligatur. Nam neminem effe dubitaturum, Celfum ibi plurima adumbrare fecundum noftri mentem, profecto perfuafus fum.

o) Aetii Tetrab. III. Serm. II. cap. 30. p. 544. ed. Steph. med. art. princ. Conf. Cael. Aur. morb. ac. I, 14. p. 43.

ſinenter aquoſitatis excretio procedit, citra omnem inſlammationem, ut neque claudi ſiſſura poſſit, niſi humore omni ante expenſo, et homine gracili relicto: atque id cito contingit, nulla inſlammatione ſciſſuram occupante, ſed ipſa in quadam congruente temperie permanente, quo omne alienum per ipſam excolatur, et ut nullo opus ſit extrinſeco pharmaco. Praeterea periculum hic nullum verendum eſt, velut in hydropis aſcitae pertuſione: non enim coacervatim quemadmodum illi evacuantur. At vero ſi quis velit excretione plurima facta, eam cohibere, nil vetuerit ipſas in talis ſiſſuras linamentis obturare, ligamentisque conſtringere, atque ubi rurſus quid prodire velimus, laxatis ligamentis, et ablatis linamentis, geſtatoque ac moto aegro, excretionem irritare. „

Aſclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, ſe abſtinentia bidui et frictione uſum, tertio die iam et febre et aqua liberato, cibum et vinum dediſſe, memoriae prodidit *p*).

Ex Caelio compertum quoque habemus, memoraſſe Aſclepiadem, Herodicum medicinae gymnaſticae auctorem, curaſſe hydropicos purgationibus, vomitu ac vaporationibus *q*).

Quid ſit hydrops, memorat ſecundum auctorem noſtrum his verbis Caelius: *hydropiſmum*, inquit, *ſieri perforatione carnis in parvam formulam viarum*,

p) Cel l. c.

q) Cael. Aur. morb. chr. l. c. p. 435.

rum, quae possit solita corporis nutrimenta in aquare r). Cognitio huius definitionis haud dubie repeti debet ex primis elementis, quae de structura corporis animati prodidit. Cum corpus nostrum statueret compositum ex viis et corpusculis in illis fluitantibus, verosimile est, persuasum sibi habuisse, in statu hydropico eas partes, quae carnem constituunt, pluribus distinctas esse viis minoribus. Nutrimenta igitur, quae intrare possint in hasce parvulas vias, in minutissimas dissolvantur necesse est particulas, quibus aqua constituta est.

ARTHRITIS.

§. 101. Enarrat tantum Caelius, de arthritide scripsisse nonnulla Asclepiadem in libris ad Erasistratum s). Nil amplius notum est.

BVLIMVS AC LAXITAS CORPORIS.

§. 102. Putat Asclepiadem, *bulimum magnitudine viarum stomachi atque ventris fieri: defectionem vero atque corporis fluxum et irregibilem laxitatem, viarum raritate t).*

DE ALOPECIA *u*).

§. 103. Plutarchus memoriae tradidit, circa Asclepiadis tempus elephantiasian Romae et

r) Cael. Aur. morb. ac. I, 14. p. 42.

s) Cael. Aurel. morb. chr. V. 2. p. 566.

t) Cael. Aurel. morb. ac. I, 14. p. 42.

u) vid. Bernard. ad Theoph. Nonn. cap. 8. p. 44. T. I.

et in Italia primum obſervatam fuiſſe v). Cum alopecia quoque ad eos morbos pertinet, quibus elephantiaſis incedit, facile intelligere poſſumus, cur multis de ea locutus ſit Aſclepiades, quae apud Galenum leguntur deſcripta. Diſertis verbis deſcripſit Galenus hoc morbi genus eiusque curationem ſecundum noſtri mentem, adeo, ut vix omnia noſtro ſermone ad minutiſſima usque comprehendere poſſimus. Satius igitur videtur ipſam Galeni orationem tradere, quae profecto multi eſt momenti, cum de primis elephantiaſis veſtigiis nos certiores faciat x).

Οὐ τοῦ νεωτέρου δηλονότι μέμνημαι νῦν Ἀσκληπιάδου, τοῦ συνθήσεις φαρμάκων ἀξιολόγους ἐν πολλοῖς γράψαντος βιβλίοις, ἀλλὰ τοῦ παλαιοτέρου τοῦ Βιθυνοῦ. οὗτος τοίνυν ὁ Ἀσκληπιάδης σεμνύνεται θεραπείας ἀγωγὴν εὑρηκέναι, δι' ἧς ἰᾶσθαί φησιν πολλὰς ἀλωπεκίας δυσθεραπεύτους ἐχοιτας, πλέον δὲ φησιν εἰς τὴν θεραπείαν δύνασθαι τὴν ὅλην δίαιταν, ἢ τὰ φάρμακα· περὶ δὲ οὖν τῆς διαίτας τά-

„Non recentioris nunc mentionem facio Aſclepiadae, qui memorabiles ſane pharmacorum compoſitiones in multis libris conſcripſit, ſed vetuſtioris, Bithyni videlicet. Hic itaque Aſclepiades curandi viam ſe reperiſſe gloriatur, per quam multos curatu difficiles alopecias habentes ſanatos dicit. Verum plus ad curationem totam vivendi rationem valere, quam pharmaca ipſa tradit. De vivendi ra-

de

v) Plutarch. ſympoſiac. lib. VIII, 9. p. 731. Cf. Hensler's Geſchichte des Ausſatz. p. 202.

x) Galen. de medic. compoſ. ſec. loc. lib. I. T. II.

δε γράφει, ἀφεκτέον οὖν παντὸς οἴνου εἰς τέλος διὰ ταύτας τὰς αἰτίας· εὔδηλον δ' ὅτι προείρηκεν αὐτὸς τὰς αἰτίας ἃς ἔξεστι βουλομένῳ μαθεῖν, ἀναγνόντι τὸ βιβλίον, εἶτ' ἐφεξῆς φησίν. ἀφεκτέον δὲ καὶ τοῦ λίαν ὑπερεμπίπλασθαι, κωλύει δὲ καὶ κρεῶν ἐσθίειν, καὶ τυροῦ, καὶ γάλακτος, καὶ ὀσπρίων, καὶ πάντων ἁπλῶς ὅσα δυνάμεις ἐν μικροῖς ὄγκοις ἔχει, πολυτρόφους τε καὶ πνευματώσας, ἀλλὰ καὶ τὰ πολλὰ τῶν γυμνασίων κελεύει φεύγειν, ὥσπερ γε καὶ τὰ συνεχῆ λουτρὰ καὶ τοὺς πολλοὺς ἱδρῶτας· περὶ δὲ τῶν φαρμάκων τάδε γράφει κατὰ λέξιν· ἔστι δὲ τὸ μὲν πρῶτον σύγχρισμα τοιοῦτον· ἀφρονίτρου μέρη δύο, ἁλὸς ἀμμωνιακοῦ μέρος ἕν, κεκαυμένα λεάναντος, ὄξει διέντες ὡς δριμυτάτῳ μέχρι τοῦ λαβεῖν γλοιοῦ πάχος, προκαταξυσθείσης τῆς ἀλωπεκίας κούφως, ὥστε δι-

tione itaque haec ſcribit: Abſtinendum itaque ab omni vino in totum propter has ipſas cauſas. Manifeſtum vero eſt inde ipſum antea retuliſſe cauſas, quas ſi quis diſcere velit, ex libri ipſius lectione requirat. Deinde ſubiungit: abſtinendum etiam a nimia repletione. Prohibet autem et carnium eſum, et caſei et lactis, et leguminum, omniumque ſimpliciter, quae etiam exigua copia accepta vim habent, qua multum et nutriant, et inflent. Quin et exercitia plurima fugere iubet, velut etiam aſſidua balnea, et multas exudationes. Ceterum de pharmacis iuxta ſeriem dictionis ſic ſcribit. Eſt autem primum unguentum tale: ſpumae nitri partes duas, ſalis ammoniaci partem unam, iſta trita acerrimoque aceto diluta, donec ſtrigmentorum craſſitudinem accipiat, praeſcalptae leviter alopeciae, quo

συνθη-

συνθῇ καὶ ἔναιμον γενέσθαι τὴν τόπον, μετρίως καταχρίοντες τὴν κεφαλὴν καὶ τρίψαντες μέχρι τῦ συλλαβεῖν καὶ εἰς βάθος παρενεχθῆναι, τὸ φάρμακον καλῶς προκαταχρίσαντες, ἡσυχάζειν ἐῶμεν ἕως δείλης. ἔπειτα τὸ αὐτὸ ποιήσαντες τῇ ἑσπέρᾳ καὶ τῇ ἑξῆς, καὶ τῇ τρίτῃ παραπλησίως, μεγάλην παραλλαγὴν εὑρίσκομεν. ἵσταται γὰρ ἡ νομὴ, καὶ αἱ τρίχες καταψώμεναι, καὶ μὴ διελκόμεναι μετὰ βίας, ἀντείχοντο, καὶ ἐκ ἀνεσπῶντο. ἔπειτα τῇ ἑξῆς, ἐπικατρίψαντες ἐν ὄξει καταπλάττομεν, μέχρι τῦ φλυκταίνας ἐπαναστῆναι καὶ ἕλκωσιν ἐπιπόλαιον λαβεῖν τὸ δέρμα. παρασχάσαντες δὲ τὰς φλυκταίνας, καὶ ἄχρι δυεῖν ἡμερῶν ὑποδεξάμενοι τὸ ὑδατῶδες, τὸ ἀπὸ τῶν ἑλκῶν ῥέων ἐχρώμεθα πάλιν τῷ αὐτῷ συγχρίσματι. φειδόμενοι τῶν ἑλκωδῶν τόπων, καὶ ὑπερβαίνοντες, αὐτὰς δὲ τὰς ὑγιεῖς λαμβάνοντες, καὶ

denſetur et cruentus reddatur locus, moderate illinimus, defricamus donec caput ea concipiat et pharmacum in altum probe deferatur, atque ita quieſcere usque ad crepusculum ſinimus: poſtea ad veſperam idem repetentes, ſimiliterque ſequenti ac tertia die magnam permutationem reperimus. Siſtitur enim depilatio, et capilli dum raduntur, neque vi trahuntur, reſiſtunt et non evelluntur. Deinde ſequenti die ex aceto perfrictis cataplaſma apponimus, quod bullae aſſurgant, et cutis in ſuperficie exulceretur. Bullas autem ubi diuiſerimus, atque ad duos dies aquoſitatem exceperimus, quae ab ipſis ulceribus prodit, inde rurſus eodem unguento utimur, ulceratis tum locis parcentes, eosque transgredientes. Sanes vero apprehendentes, eosque deradentes, usque ad crepuſculum

τέτας

τϐτϐς καθαψόντες ἡσυχά-ζειν ἐῶμεν ἕως δείλης. ἔπειτα τὸ αὐτὸ ποιήσαντες, καὶ ἀνατρίβοντες ἐπὶ βραχὺ, μέχρις ἑπτὰ καὶ ὀκτὼ ποιϐντες ἡμερῶν, ἤδηπϐ συνθεωρϐμεν ἀπὸ τῶν περάτων τῆς ἀλωπεκίας, ϐκ ἔτι λεπτὰς καὶ χνοώδεις τρίχας, ὡς ἔμπροσθεν, ἀλλ' ἐκβριθεσέρας, ἔπειτα κατὰ μικρὸν, ἀεὶ ταύτας ἐπιβϐνϐσας τοῖς ἐψιλωμένοις συνεκλειπϐσας δὲ πάλιν τὰς λεπτὰς καὶ ἀσθενεῖς, ὁμοίϐ τινος συμβαίνοντος τοῖς ἡλκωμένοις, καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν ἑλκῶν ἀπὸ τϐ πέρατος ἡ ϐλὴ τὴν ἀρχὴν λαμβάνϐσα, τὸ ἔσχατον εἰς τὰ μέσα τϐ ἕλκϐς ἀποτελευτᾷ, ἐπί τε τῆς ἀλωπεκίας τὰ πρὸς τῷ τετριχομένῳ πρῶτα ἐξισχύει καὶ διασύνεται, τὰ δ' ἐν τοῖς μέσοις ὕςατα πάντων τριχοφυεῖ. προκοπτϐσης μὲν ϐ̃ν τῆς θεραπείας ὅτως, ϐδὲν προσδεόμεθα φαρμάκων ἑτέρων ἀλλ' ἑνὶ τϐτῳ διὰ πλείονος ἀεὶ χρόνϐ χρώμεθα,

quiescere sinimus, quo idem repetentes, multumque confricantes usque ad septimum aut octavum id facere pergimus diem; quo sane tempore videmus iam ab extremis alopeciae non amplius tenues ut ante, et lanuginosos impedire pilos, sed robustiores, postea et paulatim in partibus denudatis excrescentes, vicissimque tenues et imbecilles deficientes, contingitque simile quiddam, quod in ulceratis videmus. In ulceribus, enim cicatrix ab extremo initium facies, postremo in medio ulcere desinit, ac coit. Ita in alopeciae partes pilosis vicinae primum convalescunt, et densae pilis redduntur: quum vero in medio sitae sunt omnium postremo pilos producunt. Si itaque curatio hoc modo processerit, reliquis medicamentis nihil opus habebimus, sed uno hoc per multum tempus

μεθα, καὶ ὑπήκουεν ἐπιεικῶς τὸ πάθος, εἰ μὴ παντελῶς εὐμεγέθης ἡ ψιλώτης εἴη. τὸν δὲ μέσον χρόνον τοῦτε καταξυσμῷ τῷ διὰ τοῦ σμιλίου συνεχῶς ἐνηργοῦμεν. καὶ ἔστιν ὅτε τῇ ἀκμῇ τοῦ ὀξυβελοῦς ἐπικρούοντες τὸν χρῶτα, διὰ τῶν νυγμάτων αἱμάτιον ἐκόμισαμεθα σύμμετρον. ταῦτα προειπὼν ὁ Ἀσκληπιάδης αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐφεξῆς ἀπεφήνατο περὶ ξυρήσεως ἐναντίως τοῖς ἄλλοις. οὐ γὰρ συνεχῶς, ἀλλ' ἐκ διαλειμμάτων κελεύει ξυρᾶσθαι τὸ πεπονθὸς μόριον, ὅταν ἤδη μετρίως παχεῖαι τρίχες ἐν αὐτῷ φύωνται. τὰς δ' ἀρχομένας ἔτι καὶ λεπτὰς, οὐκ ἀξιοῖ ξυρᾶν. μετὰ δὲ τὸν περὶ τῆς ξυρήσεως λόγον, ἐφεξῆς γράφει κατὰ λέξιν οὕτως. εἰ δὲ καταβραδύνοιτο τῆς τριχώσεως, ἐπὶ τὰς ὑπογεγραμμένας δυνάμεις καταφεύγομεν, εἰσὶ δὲ τοιαῦταί τινες. ἐχίνου χερσαίου τὴν κεφαλὴν ἢ τὸ δέρμα κατακαύσας καὶ τρίψας λεῖον, μέλιτι δεύσας ἐπίχριε. Ἄλλο.

ſemper utimur: ceditque benigniter affectio niſi omnino magna nuditas exiſtat. Medio autem tempore, ſcalpturam per acutum caelum aſſidue facimus. Aliquando enim cuſpide acuti ſpiculi cute pertuſa, per fiſſuras ipſas ſanguinem moderate elicimus. Haec his verbis praefatus Aſclepiades, deinceps de raſura contra quam alii, tradit. Neque enim aſſidue, ſed per intervalla, affectam partem radere iubet, uti iam mediocriter tenſi capilli in ea fuerint exorti: prodeuntes autem iam et adhuc tenues, raſura non dignatur. Ceterum poſt raſurae factam mentionem, deinceps haec verba ſcribit: quod ſi vero remoretur capillorum exortus ad ſubſcriptos compoſitiones confugimus. Sunt autem tales; Erinacei terreſtris caput, aut corium uſtum tritum, aut melle ſubactum illinito. *Aliud.*

ἱπποκάμπου θαλάσσιον, καὶ νίτρου μικρὸν συγκατακαύσας, καὶ στέαρ χήνειον μίξας κατάχριε, προεκνιτρώσας τὸν τόπον. ἄλλο. θαψίαν ἐν ὕδατι δεύσας κατάχριε. ἄλλο. μυῶν τὰ διαχωρήματα μετὰ ὄξους λειώσας, κατάχριε. ἄλλο. καλάμου κυπρίου λαβὼν τὰ φύλλα καὶ κατακαύσας ἐπὶ κεραμίδος, ἔπειτα ῥητίνῃ πιτυΐνῃ ὡς πλεῖστον τὰς τέφρας ἀναλαβὸν ἔμπλασε, καὶ προκατασχάσας τὴν ἀλωπεκίαν, ἐπίθες καὶ ἐπίδησον. ἢ τὸν φλοιὸν ἢ τὴν κόμην τῶν καλάμων ὡσαύτως σκεύασον, ἔτι δὲ καὶ νίτρου τὰς τέφρας τὸ ἴσον, μίξας καὶ πίττῃ ἀναλαβὼν, χρῶ. ἔστι δὲ οὐκ ἄπρακτον ἀλλ' ἱκανῶς ἐνεργοῦν. ἐπὶ τούτοις ὁ Ἀσκληπιάδης μνημονεύει καὶ τῶν μυῶν, ἃς κελεύει θεραπεύσαντες, ὡς πλείστας εὐθέως ἐνθλίβειν τὰς κεφαλὰς αὐτῶν εἰς τὰ ἐψιλωμένα τῆς ἀλωπεκίας, καὶ μάλιστα φησὶν, ἐπιδὰς ἑλκώσωμεν αὐτήν. καὶ γὰρ καὶ φέρει, φησὶ, τὸ ἀπὸ τῶν μυῶν αἷμα περιοξυνομένη τηνικαῦτα.

Hippocampum ? marinum, et nitri parum ſimul inure, adipeque anſerino admiſto, loco nitro praeparato, illinito. *Aliud.* Thapſiam aqua maceratam illine. *Aliud.* Muſcerdas aceto tritas, illine. Aliud Calami Cyprii folia in olla exurito, deinde reſina pinus cinereis plurimum excipito, et praefariſicatae alopeciae imponito, ac obligato. Aut corticem ſive comam arundinum eodem modo praeparato, ampliusque nitri panem cinereis modum admiſceto, et pice exceptis utitor. Eſt autem non invalidum, ſed plurimum efficax. Poſt haec vero etiam muſcarum Aſclepiades meminit, iubens quam plurima ipſarum capita, mox ubi captae ſunt, nudis alopeciae partibus affricari; atque id maxime, ubi alopecia fuerit exulcerata. Etenim fert inquit, muſcarum ſanguinem irritata tunc per medica-

τοῖς

τοῖς διὰ τοῦ νίτρου καὶ τῶν ἄλλων συντεθειμένοις φαρμάκοις ὑφ' ὧν οὐ μόνον δάκνεσθαι φησὶν αὐτοὺς, ἀλλὰ καὶ φλυκταινοῦσθαι.

menta, quae ex nitro atque aliis componuntur nimirum, inquit, cum non mordeant haec ipsa tantum, sed bullas etiam in eis excitent.

DE HYDROPHOBIA.

§. 104. Ex eodem Plutarchi loco y) comperimus quoque, horrendum illud morbi genus, nomine hyprophobiae insignitum circa Asclepiadis aevum, primum homine infestasse, quorundam fuisse opinionem. Sed extra omnem positum est dubitationem, iam antiquioribus medicis innotuisse hunc morbum z).

Asclepiades quidem nil de hydrophobia scripsit, nec enarrant aliquid scriptores: sed sectatorum nonnulli haud dubie magistri adumbrarunt sententias, quas nobis reliquit Caelius. Paucis illas hic describere nostrum est.

Nonnulli eius sectatores locum affectum putant membranam cerebri. Siquidem secundum Asclepiadem omnis morbus, qui mentem turbat, situs est in membranis cerebri: hinc non potuerunt non hydrophobiam iisdem adscribere membranis: alii contendunt, diaphragma pati,

 cum

y) Plutarch. symp. VIII, 9. p.

z) Cf. Perill. Gruneri morbor. antiq. sec. III, §. III. p. 234. et Anonymi tract. de hydroph. ex edit. Bernard.

cum in illo dolor ſit conſtitutus. Artorius, ſingultu, vomitu fellis, atque appetentia inſatiabili bibendi ductus ſtomachum in cauſa eſſe autumat: cerebri vero membranas ob conſenſum tantum pati: alii et ventrem cum ſtomacho pati perſuaſi ſunt *a*).

Memorat Artorius, quosdam medicos miſiſſe hydrophobicos in vaſculum aqua frigida plenum, vel in puteum, ſaccis incluſos, ut neceſſitate bibere cogerentur. Sed reprobat hanc methodum, quae raptu affligit aegrotos, et interficit *b*).

DE ORTV INFLAMMATIONIS.

§. 105. Cognoſcitur inflammatio ex ſymptomatibus, quae eam conſtituunt, ex dolore, tumore, calore et rubore. Conſentiunt in eo omnes ſectarum principes, proficiſci haec ſymptomata ex nimia in quodam corporis loco ſtagnantis ſanguinis copia, et quislibet auctor ea ſecundum ſyſtematis ſtabiliti explicare ſtudet. Hinc Aſclepiades dicit effici inflammationem, ſi minutiſſima corpuſcula in minutiſſimis viis ſtagnant *c*).

§. 106.

a) Cael. Aurel. morb. acut. lib III, 14. p. 224.

b) Cael. Aurel. l. c. cap. 16. p. 232.

c) Galen. de meth. med. lib. XIII. p. 173. T. IV. Nuncupat ibi ſecundum Aſclepiadem inflammationem ἔμφραξίν τινα, εἴτε ἔνστασιν ἐν λόγῳ θεωρητοῖς ἀραιώμασιν.

§. 106.

FRAGMENTVM MVLTI MOMENTI, QVOD RELIQVVM NOBIS EST EX ASCLEPIADIS SCRIPTIS *d*).

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΤΟΥ ΒΙΘΥΝΟΥ

ὅτι καὶ διὰ νόσον χρονίαν ἐξαρθρεῖ τινες γίγνονται.

Οτι χωρὶς φανερᾶς αἰτίας νοσησάντων χρονίως ἐκβαίνει τὰ ἄρθρα δίδωσιν μὲν καὶ ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ μαρτυρίαν ἐν τοῖς περὶ ἄρθρων· περιπέπτωκα δὲ κἀγὼ δυσίν. Ἑνὶ μὲν ἐν παρίῳ ὃς οὔτε πληγεὶς οὔτε πεσὼν ἀλγήσας δὲ τὸ σκέλος ἐξ ἀρχῆς καὶ κατακλιθεὶς ἐπὶ τρεῖς μῆνας, εἱλκύσθη καὶ ἐξέβαλεν τὴν τοῦ μηροῦ κεφαλὴν εἰς τὸ ἔξω. δι' ὑπερβολὴν τῶν ἀλγημάτων τοῦτο παθών, ὡς νομίζω.

ASCLEPIADIS BITHYI

etiam a longo morbo articulos nonnullis excidere.

Sine aperta caufa longo morbo vexatis articulos elabi, dat quidem Hippocrates teftimonium in libris de articulis, fed ego quoque duobus incidi. Uni Parii, qui neque percuffus neque allifus, fed crus initio dolens, cum decubuiffet, ultra tres menfes, diftractus eft, et caput femoris in exteriorem partem eiecit: ob nimiam violentiam dolorum id vero paffus ut ego cenfeo. Alteri

 Ἑτέρῳ

d) Defumtum eft hoc fragmentum ex Cocchi (fcript. chir. e collect. Nicet. p. 154. Legitur quoque in fine libelli a Cocchio confcripto (Dell' anatomia difcorfo, d'Antonio Cocchi. Firenze M. DCCXLV). Eius mentionem iam faciunt Conring in introd. p. 401. (ed. Helmft. 1687.) et Keftner im mediz. gelehrt. Lexicon f. v. (Jena 1740)

Ἑτέρῳ δὲ νεανίσκῳ τραγῳδοποιῷ τινί· καὶ γὰρ καὶ οὗτος ἄνευ φανερᾶς αἰτίας ἐξ ἰσχίαδος ἐξέβαλε τὸν μηρὸν ἔξω, τῆς σαρκὸς διὰ τὴν φλεγμονὴν ἐπισπασαμένης τὸ ἄρθρον καὶ ἐκ τῆς οἰκείας χώρας ἐκβαλούσης.

adoleſcenti cuidam tragoedo: nam et huic ſine manifeſta itidem cauſa ab iſchiade femur extrorſum lapſum eſt, carne ob inflammationem divellente articulum, et e ſua ſede expellente.

§. 107.

COMPOSITIONES QVAEDAM, QVAE RE VERA AD ASCLEPIADEM NOSTRVM PERTINENT.

Ἄλλο μάλαγμα Μάρκου Τελεντίου Ἀσκληπιάδου, σφόδρα γενναῖον πρὸς τὰς προειρημένας διαθέσεις. μάλιστα δὲ ποιεῖ πρὸς τὰς τῶν μητρῶν ἐμπνευματώσεις, ἐπιγραφόμενον τὸ φάρμακον Ἀσκληπιάδειον, διὰ τὸ ἀναφέρεσθαι εἰς τὸν Βιθυνὸν Ἀσκληπιάδην.

Aliud malagma Marci Telentii Aſclepiadis e) valde generoſum ad idem. Praecipue vero valet ad uteri inflationes. Inſcribitur Aſclepiadeum medicamentum, eo, quod ad Aſclepiadem Bithynum auctorem refertur f).

Σμύρνης δραχμὰς γʹ ὀποπάνακος ἡμίλιτρον, κηροῦ λύτριαν αʹ S. χαλβάνης οὐγγίας γʹ. μάννης ἡμίλιτρον,

Myrrhae denarium pondo trium, opóponacis pondo ſelibram, cerae pondo libram S, chalbani pondo uncias tres, mannae pondo ſe-

e) vid. ſupr. cap. I. §. 2. not. k.)

f) Galen. de compoſit. medic. ſec. gen. lib. VII, p. 410. To. II.

τρον, ἀμμωνιακᾶ θυμιάματος ἡμίλιτρον, ῥητίνης φρυκτῆς λίτραν α̅ S. ὄξους κοτύλην α̅. χρηστέον δ' αὐτῷ καὶ πρὸς πᾶσαν νευρικὴν συμπάθειαν.

libram, guttae ammoniaci pondo ſelibram, reſinae frictae pondo libram S, aceti heminam. Utendum eſt eo etiam ad omnem nervorum ex conſenſu dolorem.

Aliud medicamentum adverſus omnes aurium caſus, iamque uſu comprobatum, et ab Aſclepiade compoſitum, memoriae tradidit Celſus g). In eo ſunt cinnamomi, caſiae, ſingulorum P. I. * floris iunci rotundi, caſtorei albi, piperis longi, amomi, myrobalani, ſingulorum ſcrupuli duo thuris maſculi, nardi ſyriaci, myrrhae pinguis, croci, ſpumae nitri, ſingulorum P. II. * Quae ſeparatim contrita, rurſus miſta ex aceto conteruntur, atque ita condita, ubi utendum eſt, aceto diluuntur.

CAEPAE VSVS EX ASCLEPIADIS SCHOLA.

§. 103. Plinio debemus, quae hac de re nobis nota ſunt, qui ſic verba facit: „*Aſclepiadis ſchola*, (dixit) *ad calorem quoque validum proſici hoc cibo. Et ſi ieiuni quotidie edant, ſirmitatem valetudinis cuſtodiri: ſtomacho utiles eſſe, ſpiritus agitatione: ventrem mollire, haemorrhoidas pellere, ſubditas pro balanis: ſuccum cum ſucco ſoeniculi contra incipientes hydropiſes mire proſicere. Item contra anginas, cum ruta et melle. Excitari iisdem lethargicos.*„ h)

g) Celſ. VI. 7.

h) Plin. H. N. XX c. 20.

DE PVLSV SECVNDVM ASCLEPIADIS SECTATORES.

§. 109. Addunt discipuli nonnulla magistri definitioni, ita, ut eorum definitio ea sit, ut pulsus sit distentio et contractio cordis, et arteriarum, quae non semel, sed identidem in una inspiratione fit. Moschion cognomine corrector statuit eum motum non solum in corde et arteriis, sed in venis quoque, in cerebro, atque membranis hoc ambientibus *i*). (§. 61.)

Haec sunt, quae ex doctrina sectatorum Asclepiadis proferre debui, quo melius ipsae disciplinae Asclepiadeae intelligerentur. Cetera reticeo, cum plane extra limites, quibus circumscriptus sum, posita sint. Melius tractari possunt in scriptiuncula, cui nunc tempus impendere animus est, in qua demonstraturus sum, qua ratione ex Asclepiadis doctrina methodicorum secta sit exorta. Forsitan, si otium atque opportunitas mihi erit, proxima occasione ea, quae iam hac de re exarata habeo, cum viris doctis communicabo.

i) Galen. de different. puls. lib. IV. p. 51. T. III.

Cap. IX.

Corollaria.

§. 110.

DEFVNCTVM IN VITAM REVOCAT.

Superſunt nonnulla, quae in ſuperioribus ſectionibus explicari non potuerunt. Satius igitur videtur, privum his condere caput. Eminet inter illas res, quae huc pertinent, miranda illa hiſtoria, qua compertum habemus, Aſclepiadem hominem iam defunctum in vitam revocaſſe. Lubet ipſum Apuleium audire, qui prolixus atque diſertus eſt hac in re enarranda. „*Is* (Aſclepiades) *cum forte in civitatem ſeſe reciperet, et rure, ſuo ſuburbano rediret, aspexit in pomoeriis civitatis funus ingens locatum: plurimos homines ingenti multitudine, qui exſequias venerant, circumſtare, omnes triſtiſſimos et obſoletiſſimos veſtitu. Propius acceſſit, ut etiam incognoſceret, more ingenii humani, quisnam eſſet, quoniam percunctanti nemo reſponderat: an vero ut ipſe aliquid in illo ex arte deprehenderet? Certe quidem iacenti homini ac prope depoſito vitam attulit. Jam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa, iam os ipſius unguine odoro delibutum, iam eum pollinctum, iam coenae paratum,*

contemplatus diligentiſſime quibusdam ſignis vivere animadvertit. Etiam atque etiam pertractavit corpus hominis, et invenit in eo vitam latentem. Confeſtim exclamavit, vivere hominem. Procul ergo faces abiicerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, coenam feralem a tumulo ad menſam referrent. Murmur interea exortum, partim medico credendum dicere, partim etiam irridere medicinam. Poſtremo propinquis etiam omnibus invitis, quodve iam ipſi hereditatem habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant? aegrè tamen ac diffi- culter Aſclepiades impetravit brevem mortuo dilationem atque ita vespillonum manibus extortum velut ab inferis poſtliminio domum retulit, confeſtimque ſpiritum recreavit: confeſtimque animam in corporis latibules delitescentem quibusdam medicamentis provocavit k).„

DE MARMORE ASCLEPIADIS.

§. 111. In fronte huius libelli exſculpi curavimus marmor, quo Aſclepiades denotatur. In privo libello de eo commentatus eſt Garofalo. Argumenta, quibus ductus marmor memoratum vindicat noſtro Aſclepiadi eo redeunt, quod ex catalogo virorum, qui eodem Aſclepiadis nomine inclyti fuerunt quem et nos supra dedimus probat, nullum eorum noſtro clariorem geſiſſe nomen. In marmore ſimpliciter occcurrit *Aſclepiades*. Scimus vero et noſtrum in ſcriptis Galèni, aliorumque ſae-

k) Apuleii Florid. IV, p. 276. Enarrant paucis eandem hiſtoriam Plin. H. N. VII, ſ. 37. XXVI, ſ. 8. Celſ. II, 6.

saepius vocari κατ' ἐξοχὴς *Asclepiadem*: alius vero eiusdem nominis, quo facilius ob minus inclytum nomen inter se discernantur, semper distingui cognomine, pronomine, aut alia re in illis celebrata semper vero in omnibus locis, ubi occurrit simpliciter Asclepiades, intelligendus est noster, Philosophus et Medicus. Aliud argumentum hausit Garofalo ex immensa nostri celebritate, quae tam ex tota eius historia, quam praecipue ex elogiis ac praeconiis scriptorum supra collectis apparet. (§. 21.) Deinde putamus, si probatum est, marmor illud sculptum esse ante Adriani seculum, ut Garofalo colligit ex barba absente, nullus Asclepiadarum est, cui adscribi possit, nisi nostro, Pharmacioni et Philophysico, qui soli ante illud tempus vitam traxerunt, ut supra demonstravimus. Sed nec Pharmacion nec Philophysicus tam inclyti fuerunt, ut, nostro omisso, illis adsignari possit marmor *l*).

EXPLICAVIT OBSCVRIORES HIPPOCRATIS LIBROS.

§. 112. Iam apud veteres fuerunt, qui explicandis Hippocratis libris, vel omnibus vel nonnullis tantum eorum, operam navarent. Et Asclepiades noster commentarios scripsit in Hippocratem, sed non in omnes eius libros, potius in eos, qui obscuritate inprimis oppleti erant. Galenus in commentariis in Hippocratis, vel, quis-

l) Garofalo Giornal. de Letter. d' Ital. 1712. T. II. art. 10. et in dissert. miscell. p. 331. sq. Rom. 1718. 4. (Le Clerc Hist. de med. p. 410.)

quisquis ſit auctor huius libelli, opus περὶ τῶν κατ' ἰατρεῖον, retulit nonnulla, quibus colligi poteſt, qua ratione verſatus ſit in explicando hoc Hippocratis libro m).

ASCLEPIADEM ATHENIS FVISSE, CONFIRMATVR EX ATHENAEO.

§. 113. Vix dubitandum eſt, Athenaeum de noſtro loqui Aſclepiade, cum enarrat Aſclepiadem philoſophum, Athenis doctrinis philoſophicis operam navantem, quam egenum fuiſſe, adeo ut in piſtrinis vitae ſuppetias quaereret. Sic loquitur Athenaeus: Μενέδημον γὰρ καὶ Ἀσκληπιάδην τοὺς φιλοσόφους νέους ὄντας καὶ πενομένους, μεταπεμψάμενοι ἠρώτησαν, πῶς ὅλας τὰς ἡμέρας τοῖς φιλοσόφοις συσχολάζοντες, κεκτημένοι δὲ μηδὲν, εὐεκτοῦσιν οὕτω τοῖς σώμασι. καὶ οἱ ἐκέλευσαν μεταπεμφθῆναί τινα τῶν μυλωθρῶν· ἐλθόντος δὲ ἐκείνου, καὶ εἰπόντος ὅτι νυκτὸς ἑκάστης κατιόντες εἰς τὴν μύλωνα καὶ ἀλοῦντες, δύο δραχμὰς ἀμφότεροι λαμβάνουσι. θαυμάσαντος οἱ Ἀρεοπαγίται, διακοσίαις δραχμαῖς ἐτίμησαν αὐτοὺς. n).

AD §. 18. NOT. b.

§. 114. Vid. Suidas ſ. v. *Aſclepiades.* Ibi enarrat Apollonium, Aſclepiadis Myrleani fuiſſe praeceptorem. Hinc haud dubie deceptus eſt Walchius, ut Noſtrum Aſclepiadem Apollonii memoraret diſcipulum.

m) Galen. comment. in Hipp. libr. de med. offic. p. 662. ſqq. T. V.

n) Athen. deipn. lib. IV. cap. XIX. p. 168. ed. Caſaub.

